fert: *Ecce filius meus dilectus;* (*Joann.* 3.) ipſe illum digito oſtendit, ac Dei Nomine hominibus dicit: *Ecce Agnus Dei*. En quibus fundamentis Joannis Baptiſtæ magnitudo ſimulque fidei noſtræ ſoliditas innitatur. *Idem*.

Incomparabilis eſt S. Joannis honor, electum fuiſſe, ut perhiberet teſtimonium divinitatis J. C.

Nihil S. Joanni glorioſius fuit quam neceſſarium fuiſſe Dei Filio, ut illi teſtimonium perhiberet, *ut omnes crederent per illum*. Neceſſe erat ut fides Dei, qui humanam carnem induerat, quod totius Chriſtianæ Religionis fundamentum eſt, inniteretur S. Joannis prædicationi: quo Mundi Salvator quodammodo indigebat, ut ab hominibus fidem exigeret, ut in ipſum crederent, quod ipſe etiam confeſſus eſt cum ad Phariſæos loquens ait: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum*. (*Joann.* 5.) Nemini enim de ſe loquenti creditur: Sed ipſi noſtis illum, *qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio, quia verum eſt teſtimonium ejus, quod perhibet de me*. Præcipuum hujus Præcurſoris officium non eſt pœnitentiæ Baptiſmum, quo Baptiſmus Jeſu Chriſti præparandus eſt, prædicare, ſed ab æterno electus fuit ut Filio Dei teſtimonium perhiberet: *Hic venit in teſtimonium*. Ut ampliſſimum hoc munus obeat, naſcitur, moritur, loquitur, operatur, deliteſcit, prodit, hortatur, minitatur, & ut verbo me expediam, non eſt, ut ipſe ait, niſi vox hominibus Verbum carnem factum annuncians: *Ego ſum vox clamantis*. Hinc juſſit Providentia, nativitatem illius inſignibus prodigiis clareſcere, & vitam ejus eſſe velut juge miraculum, ut major vis, ac pondus illius accederet teſtimonio. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. (*Joann.* 1.) Prodiit autem cum ſignis, & characteribus adeo fulgentibus, ut radius Solis juſtitiæ pro eodem ſydere, ad quod nuntiandum acceſſerat, caperetur. Elogium hoc fortaſſe præſtantiſſimum eſt inter illa, quæ ipſi unquam fuerunt delata. Opus ſane eſt, apographum omnibus eſſe numeris abſolutiſſimum, cum dicendum eſt omnino, illud non eſſe autographum. Fuerit Joannes Propheta, fuerit Elias, fuerit major Elia, prophetiſque, tamen magnificis hiſce nominibus non magis laudatur, quam verbis his: *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. *Idem*.

Cur teſtimonium quod S. Joannes perhibebat Salvatoris erat irreprehenſibile?

Ut S. Joannes ad hunc perfectionis gradum eveheretur, Spiritus Dei ab infantia deduxit illum in deſertum, atque ibi inuſitato vitæ genere eum ita diverſam ab aliis hominibus reddidit, ut quidquid ſingulare ex illius nativitate, ſolitudine, veſtitu, totaque perſona deprehenderetur, majorem verbis illius vim, & auctoritatem tribueret. Profecto cum vox hæc tonans, quæ clamabat; *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*; cum, inquam, vocis hujus ſonus ſecus Jordanis ripas exaudiri cœpit, tota Jeruſalem ad Evangelicæ tubæ hujus clangorem expergefacta eſt, & cum intellectum eſt hominem hunc adeo ſolitudinis amatorem, adeoque auſterum eumdem eſſe, cujus nativitas adeo mirabilis fuerat; ad hæc tantummodo ſigna Sacerdotes, atque Levitæ Synagogæ nomine, ad honorem illi deferendum accedunt; omnes catervatim ad hoc pœnitentiæ, quam prædicat, baptiſmum confluunt; & teſtimonium, quod Judæis de Meſſia perhibuit, adeo eſt irreprenſibile, ut non potuerint unquam, nec futurum ſit, ut poſſint unquam illud refellere. Quid enim reſpondere poterant Filio Dei dicenti: Venit Joannes & illum habuiſtis tamquam Prophetam, & hominem miſſum a Deo; verumtamen cum ille de me teſtimonium perhiberet, illi aures non præbuiſtis. Præſto eratis, ut illum veluti Meſſiam reciperetis, ſi hunc ille ſibi honorem vindicare voluiſſet; cum vero illum abjecit, ut omnem mihi cederet gloriam, vos illi non credidiſtis. Quænam hæc veſtra cæcitas eſt; Si ille ſibi perhibuiſſet teſtimonium, illam uſurpans dignitatem, quam minime habebat, illi fidem adhibuiſſetis; non adhibuiſtis tamen, cum veritati perhibuit teſtimonium dicens, me eſſe Meſſiam. Obmutuerunt Judæi; & negare non poterant, Joannem irreprehenſibilem eſſe teſtem Meſſiæ, quandoquidem præſto fuerant, ut illum pro ipſo Meſſia acciperent publica ad eum legatione miſſa. *Idem*.

Diſcamus Exemplo quod nobis Joannes Baptiſta præbet, nos eſſe debere totidem teſtes Jeſu Chriſti, & nomen Chriſtiani ſecum complecti neceſſitatem confitendi fidem noſtram ita palam operibus, ac verbis, ut glorioſo hoc nomine profitemur. Quod Tertullianum impulit, ut diceret, legem hanc ſecum fere inevitabilem martyrii perferendi neceſſitatem, cum ad illam tuendam opus eſſet. Chriſtianus eſt homo, qui a Deo peculiarem characterem accepit, ut Jeſu Chriſto perhibeat teſtimonium. Apoſtoli zeli, laborumque ſuorum teſtimonium illi perhibuerunt. Martyres ſanguinis ſui, ac tormentorum; Confeſſores vitæ ſanctæ, ac mortificationum; & fieri nequaquam poteſt, quod ſimus ex Electorum numero niſi in aliquo ex hujuſmodi ſtatibus adſumus. Ad Apoſtolatus munera non vocaris: Felix Eccleſiæ tranquillitas martyrii occaſionem tibi præripuit, ita ut nulla metuenda ſit perſecutio; reliquum tibi eſt, ut morum integritate, ac vitæ ſanctimonia Jeſum Chriſtum confitearis. *Idem*.

S. Joannes omnē gloriam ſacrificat, ut J. C. teſtimonium perhibeat.

Primum illud, quod J. C. in terras dilapſus fecerit, fuit, ex S. Pauli ſententia ſe ipſum exinanire: *Exinanivit ſemetipſum &c.* Joannes Baptiſta illis exemplum ſecutus eſt, cum variis Judæorum interrogationibus unum illud reſpondit, *Non ſum*: Nihil ſum eorum, quæ me dicitis eſſe. Poterat ille merito aliquid in ſui laudem affirmare, dicere poterat, ſe maximum eſſe inter natos mulierum, utriuſque teſtamenti vinculum; ſed ut perhibeat teſtimonium veritati illius, qui eſt, dumtaxat ſe non eſſe reſpondit; cum vero tandem Judæorum ſollicitationibus urgentibus nomen aliquod debuit aſſumere, vocem ſe nominavit, qua ſane nulla res eſt nihilo propior. *Ego ſum vox*. Quinam teſtis dignior fide, quam ille, qui omnem gloriam ſuam ſacrificat, ut veritati perhibeat teſtimonium? Unica Jeſu Chriſti gratia in Sancti Joannis corde hoc jugulat honoris, atque exiſtimationis deſiderium omnibus hominibus ab ipſa natura inditum, & comparatum: unica, inquam, hæc gratia illum penitus devovet muneri præcurſoris Meſſiæ, eumque docuit, quemadmodum vox nihil per ſe eſt, ſed omnia pro illis eſſe, qui audiunt, & intelligunt illam, ita ſe nihil eſſe, habita ſua ratione, omnia tamen eſſe ratione Filii Dei, quem nuntiaturus venit in Mundum, ut homines ad Salvatoris ſequelam hortaretur. *Idem*.

Pauci Chriſtiani ſe humiliant, ideoque acceptum referūt, quidquid ſunt, ut S. Joannes.

Quot ſunt Chriſtiani, qui, quin ſe ipſos humilient, ut S. Joannes, & ad Deum referant omnem gloriam, ſe ipſos intuentur tanquam ſuæ dignitatis auctores, ſuæ tribuant dexteritati honores, ad quos pervenerunt, divitias, quas adepti ſunt, & dicant: ego uni mihi debeo univerſa; manus mea, non Domini hæc omnia fecit. Tantum abeſt, quod ſua magnitudine, atque potentia utantur, ut ab aliis colatur Deus, ut ſe coli velint, in honore haberi, & obſervari, perinde ac Dii eſſent terræ. Ex ipſa dignitate ſua ſibi conflant idolum, cui ipſi omnium primi adolent thura, & coram quo vellent omnes proſterni. *Abbas du Jarry*.

S. Joannes Præcurſorē agit antequam naſcatur.

Sedulus hic Jeſu Chriſti præcurſor publicæ prædicationis ſuæ tempus non expectat, ut illius divinitati perhibeat teſtimonium. Sed illum adhuc in matris utero clauſus confitetur, miraculoſa exultatione quam ſenſit mater in ſe accedente Incarnato Verbo, quod Sanctiſſima Virgo in alvo gerebat. *Ut facta eſt vox tua in auribus meis, exultavit infans in utero meo*. Quamobrem S. Ambroſius dixit, gratiam in hoc admirabili puero præceſſiſſe naturam, ut Domini præcurſoris munere fungeretur, antequam rationis uſum acciperet: Et S. Joannes Chryſoſtomus in eamdem ſententiam ait: *Ante cæpit nuntiare Chriſtum, quam naſci: & quia tardabat corpus maternis incluſum viſceribus, ſolo ſpiritu fecit evangelizantis officium*; qui addidit, Joannem primum vitæ ſuæ uſum gloriæ Dei conſecraſſe, cum vix illum pro ſe receperat. *Idem*.

Rubore ſuffūdi debemus videntes virtutes, & auſteritates S. Joannis, quas adeo parum imitamur.

Quam uberem ethicarum præceptionum meſſem percipere nobis liceret ex inſigni S. Joannis exemplo, quod ob oculos noſtros verſatur? Quid nobis prodeſt audire, vel Sanctorum laudes celebrare, niſi a nobis vitæ noſtræ cum vita ipſorum collatio inſtituatur, ut rubore ſuffundamur intuiti in nobis prorſus oppoſita iis, quæ in ipſis laude digna cenſemus? Cur mihi non licet, pro levi hac virtutum ejus imagine, quam vobis adumbrare conatus ſum, illum vobis pro me iſtuc adducere cum horrenti illo apparatu, quo ignita illa ſuſtinebat verba: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum . . . . . . Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*, (*Matth.* 3.) quæ fruſtra terram occupant. Deus tot annos nos urget, ut convertamur, & fortaſſe inutilia facimus ſemina verbi ejus, & gratiæ ipſius, quia illis reluctamur.

Quot ſalutaria monita contempta! quot momenta, quibus æternitati noſtræ conſulere poteramus amiſſa! Gratia nos undequaque perſequitur; quidquid agamus ad afflatus illius avertendos, ſingulis horis ſeſe nobis objicit, ut noſtris cupiditatibus frænum injiciat, & increpationibus illius aures præbere detrectamus. *Idem*.

Facile eſt intelligere cur S. Joannes ſimilis non ſit arūdini, ſicut dixit Dei filius de illo verba faciens.

Novi, quid nobis ſignificet Dei Filius, cum ait beatum præcurſorem ſuum non eſſe ſimilem arundini vento agitatæ. Et profecto quomodonam fieri poſſet, ut homo, qui nullam habet cum mundo neceſſitudinem, & qui ideo nullos honores, aut opes appetit, neque deperit voluptates, quæ tria ſunt numina, quæ in terris coluntur, & quæ iſtic efficiunt eos motus, agitationes, tumultus, & turbas, quibus ſemper agitatur; quomodo inquam fieri poſset, ut homo talis a ſæculo ſegregatus, & ab illius moribus, flagitiiſque abhorrens, fragilis eſſet arundo, quæ ventorum, atque tempeſtatum in mundo ſævientium ludibrium fieret? Ita non accidit mundi cultoribus, quorum figura ſunt homines mollibus veſtiti, qui inter delicias verſantur, & in Regum ædibus incolunt, quos certum eſt nunquam in conſiſtentiæ ſtatu permanere. Sane nunquam nonniſi ſolliciti videntur; animi ægritudines viciſſim illis imperitant, & ſæpe etiam eos terrent, atque perturbant. Amor eos agitat, odium turbat, rodit invidia, diſſipat gaudium, mœror conficit, proſperitas inflat, adverſitas opprimit, fatigat ſocietas, ſolitudo afficit triſtitia; præſens nauſeam creat, futurum ſollicitat: Mare demum tot reciprocantibus æſtibus obnoxium non eſt, quot vices & mutationes in ſingulas ferme horas eorum ingenium, & cor experiuntur. *Liber, cui titulus: Colloquia Joannis Abbatis, & Euſebii Preſbyteri*.

Compendiū vitæ, & laudum S. Joannis.

Statim ac S. Joannes Baptiſta lucem aſpexit, ſeceſſit in deſertum; ubi ea ſeſe exercuit pœnitentia, & mortificatione, quæ nondum cognita, vel adhibita fuerat. Vitam adeo puram ibi duxit, ut jure Angelus potius, quam homo poſſet nuncupari; & certum eſt opus fuiſſe, ut eminentem virtutem, atque ſanctitatem poſſideret, ut adderet pondus & neceſſariam auctoritatem teſtimonio, quod in Meſſiæ gratiam præſti-

præſtiturus erat, cum dixit videns populum exiſtimare quod ipſe fortaſſe Chriſtus eſſet: *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto, & igne*. Qui adeo ſublimi deſtinatus erat officio, non poterat nimis inter homines alios enitеſcere. Nativitas ejus ab Angelo prædicitur; a parentibus ſuis non ſine miraculo vitam recipit, & inſueto divinæ Providentiæ conſilio Dei juſſu, vel potius Spiritus Sancti afflatu nomen eidem imponitur. Pater illius, eo quod fidem non habuerit verbis, quæ ſibi ab Angelo dicta fuerant, linguæ uſu prohibetur, qui tunc tandem illi redditur, cum videns ea adimpleri, quæ Angelus futura promiſerat, præ gaudio exultat; & Filii ipſius virtuti licet adhuc rubentis ab utero, tribuitur miraculum in ejuſdem Patre patratum. *Abbas Trappenſis in moralibus animadverſionibus in Sanctum Joannem. Tom.* 3.

PRO SANCTI PETRI APOSTOLI PANEGYRICO.

MONITUM.

Licet eadem die Apoſtolorum Petri, & Pauli memoriam Eccleſia recolat, & plerique Sanctorum Patrum, & veterum Concionatorum commune tantum utrique huic Sancto concinnarint elogium; hanc tamen methodum non ſequemur: quia mos iſte hodierna die obſolevit; ac ſeorſim a nobis parabitur ſupellex, quæ utrique horum Panegyricarum Orationum ſufficere valeat.

Quod pertinet ad S. Petrum, de quo hic ſermo, metuendum non eſt, ut deſit rerum copia. Illius ad Apoſtolatum Vocatio, dignitas, ad quam Dei Filius, ſui videlicet in terris, Vicarii, Capitiſque viſibilis Eccleſiæ ſuæ illum evexit, poteſtas, quam illi in terram, ac in Cælum conceſſit, primatus inter reliquos Apoſtolos, cura eidem traditas gregis ſui, qui Eccleſia univerſalis eſt, ac verbo prærogativæ omnes, quibus illum cumulavit, his adde virtutes ad munus adeo illuſtre, ac late patens digne obeundum, fidem, caritatem, zelum, fortitudinem, lapſum etiam, ac pœnitentiam, præclare ab ipſo geſtam, labores, ærumnas, martyrium, genuſque mortis: hæc omnia latiſſime patentem campum aperiunt ad præſtantiſſimam Orationem elucubrandam, dummodo ars in his congerendis, ac diſponendis, & eloquentia in pertractandis non deſideretur.

Diſtinguendum eſt tamen privilegia, quæ Sanctum Petrum ab aliis ſecernunt Apoſtolis, nequaquam uni ejus perſonæ fuiſſe conceſſa, verum etiam omnibus ſucceſſoribus ejus, qui ad finem uſque ſæculorum futuri ſunt viſibilia Eccleſiæ Capita ſuper Sanctum Petrum fundatæ, quibus membra omnia ſubjecta, & conjuncta eſſe debent per ejuſdem fidei, doctrinæ, & veritatum omnium ad Religionem, moreſque ſpectantium profeſſionem: quod communio cum Sancta Sede appellatur, de qua ſermo non haberi non poteſt, cum hujus Apoſtoli laudes celebrantur: & quæ ſi deſit cuipiam, hic in Eccleſia vera, quam Dei Filius ſuper Sanctum Petrum fundavit, eſſe non poteſt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Analyſis.

Reſpondens Simon Petrus dixit: tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Matth. 16.

I.

HÆc tota eſt ſubſtantia hodierni Evangelii, ac earum veritatum, quæ in eo continentur; & in hoc tota S. Petri gloria ſita eſt. Hic primus omnium Jeſu Chriſti divinitatem confeſſus eſt; ideoque Jeſus Chriſtus illi hunc ſuper Apoſtolos primatum contulit, qui illum adeo venerabilem facit, & propter quem eſt caput Eccleſiæ. Hic non tantum pro ſe ipſo, ſed aliorum etiam Apoſtolorum nomine prior teſtatus eſt, J. C. Filium eſſe Dei viventis alio prorſus modo ab Helia, Joanne Baptiſta, & Prophetis. Ideo J. C. hunc Apoſtolum ſtatuit veluti fundamentum, ſuper quo Eccleſiam ſuam ædificare volebat; ideoque illi contulit ligandi, atque ſolvendi in terris facultatem. Addamus tamen ardentem glorioſi hujus Apoſtoli erga J. C. caritatem; Sancti enim Petri fides ſine caritate non ſuffeciſſet; opus erat, ut Eccleſiæ caput non fide ſolum verum etiam zelo, & caritate aliis præſtaret. In S. Petri Fide & in ejuſdem amore illius ſanctitas, ac præexcellentia conſtituta eſt. Hi duo ſunt fontes gratiarum, quibus fuit cumulatus. Hæreamus ergo illius fidei, & amori: Oportet, S. Petri fidem fidei noſtræ canonem eſſe, & S. Petri caritatem, noſtræ Caritatis exemplar. Oportet, ut J. C. cum S. Petro dicere poſſimus: *Scis, Domine, quia amo te*: (*Joann.* 21.) Itaque fidem noſtram cum S. Petri fide, & amorem noſtrum cum S. Petri amore comparemus: Conſideremus igitur.

1. Fidem S. Petri noſtræ oppoſitam fidelitati; hæc prima pars eſt.

2. Amorem S. Petri erga J. C. noſtræ oppoſitum ſtupiditati; hæc altera. Duæ partes iſtæ ſermonis hujus partitionem conſtituent. P. *Bourdaloue*.

II. Sicuti nullum unquam magnitudinis Filii Dei glorioſius extitit fundamentum, quam quod illi S. Petrus perhibuit: ita nullus unquam mortalium ad ſubliorem honoris gradum evectus fuit, quam ut fieret Caput viſibile Eccleſiæ ſuæ, & per hanc dignitatem ſuper reliquorum hominum caput conſtitueretur. Sed quoniam per vivam Fidem, & illuſtrem hanc confeſſionem S. Petrus ad hunc dignitatis apicem ſublatus fuit; in hac eadem confeſſione, ac fide inquiram cauſſas prærogativarum, & dignitatis illius. Itaque animadverto duo potiſſimum, quæ propria ſunt Capitis, & hoc præſtantiſſimam corporis partem efficiunt. Primum reliqius partibus eminet, ac præſtat; eſt enim altior pars corporis; ſecundo in omnes artus influit, quibus ſpiritum, vitamque communicat. Hæc in Sancto Petro, tanquam viſibili Capite Eccleſiæ J. C. nobis ſunt conſideranda.

1. Ipſum habere primatum, ac præeminentiam in ceteros Apoſtolos.

2. Ipſum influere in omnia Eccleſiæ Filii Dei membra. Quæ duæ prærogativæ innituntur glorioſo teſtimonio, quod Dei Filio præbuit; eruntque duæ partes hujus ſermonis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Eſt prudentiæ illlus, qui domum ædificaturus eſt, hujus fundamenta in firma, ſolidaque petra ſtatuere, ut omnibus temporum injuriis reſiſtat, ut ab ipſo Jeſu Chriſto in Evangelio docemur; neque dubitandum eſt, quominus ille hoc ſuum executus fuerit conſilium in Eccleſiæ ædificio; quoniam ſpirituale hoc ædificium uſque ad ſæculorum finem ſubſiſtere non poterat, ut nobis pollicitus eſt, niſi illius fundamenta poſita fuiſſent in petra cui omnes illæ qualitates ineſſent, omnes neceſſario quærebantur, ut omnibus reſiſteret poteſtatibus, quæ illum poſſent labefactare. Itaque cum Jeſus Chriſtus dixit S. Petro Apoſtolo, hunc petram eſſe, ſuper quam ipſe Eccleſiam ſuam erat ædificaturus, neque faturum unquam ut portæ inferi adverſus illam præpolleant, ex S. Auguſtini ſententia intelligendus eſt, quaſi dixiſſet, quod: *Neque adverſus petram ſuper quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam, neque adverſus Ecuſeſiam portæ inferi prævalebunt*.

Et ſane animadvertite quæſo cum Angelico Doctore, infernum tria inimicorum genera contra S. Petrum excitaſſe, vel ut propriis ejuſdem terminis loquar, tres inferorum portas; & relicta Metaphora, tria genera inimicorum; quorum primus eſt error, alter impietas, tertius perſecutio. Hæretici per erroris portam eruperunt, impii per portam impietatis, tyranni vero per illam perſecutionis. Hæretici S. Petri fidem oppugnarunt; impii illius poteſtatem: tyranni denique vitam: ſed tres hæ ſimul Inferorum portæ fundamentalem Eccleſiæ petram concutere non valuerunt: *Portæ inferi, &c.* Nam uti videre eſt ex Evangelio, J. C. illum contra omnes hoſtes illius communivit, eamque adverſum omnes illorum conatus ſuſtinuit. III.

1. Contra eos, qui fidem oppugnarunt, quia rogavit, ut conſtans eſſet fides illius. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. (*Luc.* 21.)

2. Contra potentiæ illius Inimicos: quia S. Petro contulit auctoritatem, quæ ad ipſa uſque terrarum extrema protenditur, ita ut illam in cælis etiam exerceat, quorum ipſe illi claves credidit, ut illas vel clauderet, vel reſeraret iis, qui ab ipſo vel reatu abſolverentur, vel damnarentur. *Tibi dabo claves &c. Quodcumque ligaveris &c.* (*Matth.* 16.)

3. Contra illos tandem, qui vitæ illius interitum conarentur afferre, quia illi tribuit vim, qua ipſum poſſet imitari, & ſequi, ut ille ipſe crucis ſupplicium ſuſtinens; *Petre, tu me ſequere*. (*Joann.* 21.)

Dicere poſſumus, S. Petrum non ſolum heredem fuiſſe poteſtatis J. C. ſed etiam trium diverſorum titulorum, quos Pater æternus Filio ſuo contulerat ad ejus gloriam manifeſtandam. IV.

Titulus primus, quem Jeſus Chriſtus a Patre recepit, hic fuit,

BIBLIOTECA CENTRAL

fuit, ut videlicet eſſet Caput Eccleſiæ ſecundum Apoſtoli oraculum: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* (*Ad Epheſ.* 1.) Alter eſt, ut ſupremus eſſet hominum Judex: *Dedit ei Pater judicium facere*: (*Joann.* 5.) Tertius eſt titulus Paſtoris, quem ipſe ſibi ſumit in Evangelio: *Ego ſum Paſtor bonus.* (*Joann.* 11.)

Recipit S. Petrus ſpiritualis poteſtatis Magnitudinem, a J. C. in hereditatem accipiens tres hoſce titulos. Illam recipit.

1. Quia conſtitutus eſt Caput Eccleſiæ; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* (*Matth.* 16.)

2. Quia conſtitutus eſt Caput hominum, quoniam habet poteſtatem ligandi, atque ſolvendi. *Quodcumque ligaveris &c.* (*Supra.*)

3. Quia conſtitutus eſt a J. C. Paſtor gregis ſui contra impetum rapacium luporum: *Paſce oves meas &c. Paſce agnos meos.* (*Joann.* 11.)

V. Ad ſummam evehi dignitatem, ac meritis deſtitutum eſſe, hoc eſt exteriorem tantummodo ſpeciem habere. Ad ſummam evehi dignitatem, eamque mereri, ejus vero officia minime obire, hoc eſt imperfectiſſime honoris ſui onus ſuſtinere. Ad ſummam evehi dignitatem, illam mereri, ejuſque muneribus fungi, hic gloriæ cumulus eſt. Magnus S Petri honor eſt ad primam Eccleſiæ dignitatem fuiſſe promotum; illi multo glorioſius fuit, omnia ad hanc dignitatem digne recipiendam merita habuiſſe; ſed gloriæ perfectio fuit, omnia illius officia, ac munera obiiſſe. In triplici hoc bono veram Magnitudinis S. Petri habemus imaginem.

1. S. Petrus ad primam Eccleſiæ dignitatem evectus.

2. S. Petrus huic dignitati congrua addens merita.

3. S. Petrus perfecte omnibus dignitatis ſuæ muneribus fungens; tres erunt ſermonis hujus partes.

VI. Neceſſariæ conditiones, ut fundamentum ingens ſuſtinere valeat ædificium ad tres facile rediguntur. Quarum prima eſt, ut ſit firmum, ſolidumque; altera, ut pro altitudine ædificii profundum ſit; Tertia vero ut ſit ſatis amplum, & latum, ut omnes ædificii partes poſſit ſuſtinere. Si fundamentum non fuerit ſolidum, id eveniet, quod in Evangelio ſcriptum eſt de domo ſuper arenam extructa; imbres, & venti irruentes proſternent illam: *Deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & facta eſt ruina illius magna.* (*Matth.* 7.) Si fundamentum non fuerit profundum, periculum eſt, ne illo proprio, & ædificii pondere ſubſidente omnia peſſum ruant. Denique niſi latum, ac amplum fuerit, non omnes ædificii partes ſuſtinebit, quæ ruentes reliquas ſecum in præceps trahent. Verum ſi ſolidum fuerit, profundum, ac ſatis latum, nihil ſupereſt deſiderandum. Videamus nunc, an tres hæ qualitates in Principe Apoſtolorum fuerint inventæ. Invenio illius firmitatem, ac ſoliditatem in fide, profunditatem in humilitate, latitudinem in Caritate; quæ tres virtutes ſunt omnino neceſſariæ in iis, qui animabus regendis vacant, præſertim vero Prælatibus, ac eorum Principi præ ceteris. Si fidem non habeat, vel hæc languens, & imbecilla ſit, quomodo fratres ſuos confirmabit? & quomodo nutriet gregem ſuum pane Verbi? Si defuerit illi humilitas, atque intumuerit, ille pereundo plures alios in interitum detrahet; ſin autem defecerit Caritas, ea tantum curabit quæ ſua ſunt, aliorum vero curam contemnet. Sed S. Petrus Apoſtolus tantum abeſt quod in rebus omnibus deficiat, ut immo habeat has omnes conditiones, quæ ſunt ad omne fundamentum neceſſariæ.

1. Soliditatem, ac firmitatem in illius fide invenimus.

2. Profunditatem in humilitate.

3. Et latitudinem in amore, & caritate.

VII. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* *Matth.* 16. Prærogativæ electionis S. Petri ad dignitatem Capitis univerſalis Eccleſiæ merentur, ut paullisper ad illas animum advertamus.

1. Illum Pater Æternus elegit, illi filii ſui divinitatem revelans. *Beatus es Simon Bar jona, quia caro, & Sanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* (*Matth.* 16.)

2. Dei filius probavit illum, periculum faciens fidei, & amoris ejuſdem. Fidem ejus ad examen vocavit, antequam illi Regni ſui claves promitteret: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* (*Ibid.*) Amorem autem, antequam has illi præberet; *Simon Joannis, diligis me plus his?* (*Joann.* 21.)

3. Spiritus Sanctus illum die Pentecoſtes confirmavit, effundens ſuper illum uberrime donorum ſuorum plenitudinem; *Ego confirmavi columnas ejus*; (*Pſ.* 74.) fidem illius feci inconcuſſam; & tota Sancta Trinitas nonne illi admirabilem ſuper inferos contulit poteſtatem? *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; (*Matth.* 16.) Super Terram? *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis.* (*Ibid.*) Et ſuper Regnum Cælorum? *Erit ſolutum, & in Cælis.*

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam
VIII. *meam.* *Matth.* 16. Mundi Salvator in Evangelio nos docet eum, qui domum ædificaturus eſt, debere hanc ſupra firmam, ſolidamque petram ædificare, ut reſiſtere valeat exundationibus fluviorum, ac vi tempeſtatum. Ita cum Eccleſiam ſuam voluit inſtituere, ſpirituale hoc ædificium in immobili petra fundavit, ut perſecutionum procellis, impietatis exundationibus, atque hæreſeos inſultibus reſiſtere, atque ad ſæculorum uſque finem poſſet ſubſiſtere. Petra autem hæc non alia eſt, quam S. Petrus, ita ut in iis verbis, quæ huic Apoſtolo a Dei filio dicta fuerunt diſtinguendum ſit, quod ad illius pertinet ſanctitatem, quam vult remunerari, & ad dignitatem, qua illum decorare ſtudet.

1. Characteres Sanctitatis Petri nitent 1. ob firmiſſimam fidem, 2. ob profundiſſimam humilitatem, 3. ob latiſſimam caritatem. *Tu es Petrus &c.*

2. Dignitatis ejuſdem privilegia. Dei Filius illum conſtituit 1. Principem Apoſtolorum. 2. Caput univerſalis Eccleſiæ, cujus poteſtas in terram omnem, ac in ipſum etiam Cælum extenditur. *Quandocumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis.* (*Supra.*)

IX. Pro argumento deſumi poteſt elogium illud, quod S. Bernardus cuidam ex S. Petri ſucceſſoribus detulit: *Tu es lapis ad fundamentum; columna, ad ſuſtentationem; clavis ad regnum.* Ubi oſtendi poteſt 1. S. Petrum eſſe fundamentum ſuper quo Eccleſia fundata fuit; 2. columnam inconcuſſam, omne Eccleſiæ ædificium ſuſtinentem; 3. Clavem, quæ ſignificat Poteſtatem, quam in terra, & in cælo habet, ut hunc quidem aperiat, illam vero gubernet. Trium horum privilegiorum probationes in ſequentibus Paragraphis invenientur.

X. S. Petrus Princeps eſt Apoſtolorum, & primus J. C. Vicarius, omnium Epiſcoporum caput, Paſtorum omnium exemplar, omnium Criſtianorum Pater, qui quodammodo prima jecit Chriſtianæ Religionis fundamenta per hanc fidei confeſſionem, quam Pater illi revelavit, quam filius eximiis extulit laudibus, & ſuper quam Spiritus Sanctus Chriſtianæ Eccleſiæ poſuit ædificium. In hoc igitur Apoſtolo conſiderandum eſt.

1. Fidei teſtimonium per confeſſionem, qua teſtatus eſt J. C. eſſe Dei Filium: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.*

2. Teſtimonium lacrimarum, quibus ad finem uſque vitæ ſuæ manavit; *flevit amare.* (*Luc.* 22.)

2. Teſtimonium Sanguinis ſui, quo Evangelii, quod prædicaverat, veritates ſignavit. *Alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* (*Joann.* 21.) *Argumentum Biroat paullulum immutatum.*

XI. Quod nobis de S. Petro dicit Evangelium præſtantiſſimum eſt elogium, quod haberi poſſit in laudem hujus Principis Apoſtolorum, cujus memoriam recolimus. Illic exhibetur tanquam homo Dei ſpiritu animatus, tanquam homo perfecte illuminatus, qui ideas habet Divinitatis magis diſtinctas, perſpicuas, ſolidaſque præ ceteris mortalibus. S. Petrus Apoſtolorum aliorum nomine loquitur hoc illi honore delato, quoniam illum tanquam Caput ſuum habebant. Hoc in primis hodierni Evangelii verbis intuemur. Petrus a Deo conſtituitur ut ſit Eccleſiæ ſuæ fundamentum, cum ſuprema ligandi, ſolvendique poteſtate. Hoc eſt compendium earum veritatum, quæ in diei hujus Evangelio continentur; quapropter hoc mihi oſtendendum propono, quid fecerit S. Petrus, ut tantum hunc honorem mereretur; & quouſque J. C. magnum hunc Apoſtolum extulerit. Petrus confeſſus eſt J. C. eſſe Filium Dei vivi: hoc eſt gloriæ ipſius fundamentum. Petrus eſt ſolida petra, ſuper quam Eccleſia fundata eſt: hæc eſt gloriæ ipſius conſummatio. Videbimus igitur.

1. Petrum J. C. gloriam attollentem, confitendo illum eſſe Dei Filium; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.*

2. Jeſum Chriſtum attollentem Petrum, illum Eccleſiæ ſuæ Caput conſtituendo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nobiſmet has veritates applicemus: ex priori diſcamus J. C. glorificare confitendo hunc eſſe Dei filium: ex poſteriori intelligamus quouſque Jeſus Chriſtus Chriſtianum attollat, qui illum confitetur, eique famulatur.

XII. Pro Sermonis argumento aſſumi etiam poteſt Salvatoris erga S. Petrum agendi ratio, & certamen, quod Diſcipulum inter, & Magiſtrum adfuiſſe videtur; quia quo magis S. Petrus ſeſe abjicit ſe peccatorem confitens, & quo magis Magiſtrum ſuum attollit illum confitens filium Dei; eo magis J. C. attollit Diſcipulum ſuum, illum univerſalis Eccleſiæ fideliumque omnium fundamentum, & caput efficiens, eique conferens ſupremam poteſtatem in animas, cum hæc illi protulit verba; *Quodcumque ligaveris &c. Quodcumque ſolveris &c.* Igitur poſſumus S. Petrum conſiderare.

1. Cum ſeſe humiliat ad intuitum peccatorum, ac infirmitatum ſuarum, ac ſe infirmum, & peccatorem fatetur. Tunc Deus illum attollit ad prædicatoris dignitatem, docetque illum officium ſuum mutatum iri, & qui piſces retibus capere conſueverat, verbo homines capiat. *Exinde eris homines capiens.* (*Luc.* 5.)

2. Cum bona ſua relinquit, ut Dei Filium liberius ſequatur, Salvator promittit illi ipſum fore Judicem, aſſeſſurumque ſecum pro tribunali, & viventes, mortuoſque judicaturum: *Sedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim Tribus Iſrael.* (*Matth.* 19.)

3. Cum æternam J. C. nativitatem fatetur, & fidei lumine illuſtratus confitetur ipſum Dei viventis Filium; ipſe Dei filius affirmat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.*

4. Cum denique ſuum teſtatur amorem, & Salvatori caritatis ſuæ profitetur ardorem, Salvator hic præcipit, ut ille paſcat oves ſuas: *Paſce oves meas.* *P. Senault Oratorii Presbyter.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri poteſt rerum copia ad argumentum hoc pertractandum, & Auctores, qui de eodem ſcripſerunt.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus ſex habet Sermones, quorum alii communes ſunt duorum Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli ſollemnitati; alii vero proprii S. Petri. In horum ſecundo loquitur de mutatione, & converſione utriuſque.

Idem *tract.* 123. *in Joann.* ubi ſermo eſt de interrogatione, qua Salvator ex S. Petro quæſivit, num ipſum diligeret; oſtendit veri Paſtoris eſſe gregem ſuum amore proſequi.

Idem in ſermone ſexto de duorum Apoſtolorum horum ſollemnitate, ubi illos conſiderat tanquam binas lampades, quas Deus Eccleſiæ tradidit, ut illam illuminaret, docet alterum humilitatem, alterum vero ſpem eamdem docere.

Idem *Serm.* 28. *de Sanctis* loquitur de S. Petri, & mox S. Pauli vocatione, & utramque ſimul comparat,

S. Cyprianus, *l.* 1. *de unit. Eccleſ.* oſtendit Dei filium cupientem dare Caput Eccleſiæ ſuæ, a quo nomine ſuo regeretur, & a quo vices ſuæ gererentur in terris, a S. Petro ſciſcitatum fuiſſe, utrum ab ipſo magis, quam a reliquis diligeretur, & voluiſſe unam tantum in hac Eccleſia Cathedram eſſe ad fidei unitatem ſervandam.

S. Hieronymus *in Epiſtola de vera Circumciſione* juſtam habet & prolixam S. Petri cum Abraham comparationem.

Idem Epiſt. 58. *ad Damaſum* declarat ſe cum S. Petri Cathedra dumtaxat communicare velle, quia ſuper hanc Petram J. C. ſuam ædificavit Eccleſiam.

S. Ambroſius tres edidit ſermones in SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli feſtivitatem. In primo loquitur de rebus plurimis, quæ peculiariter ad S. Petrum pertinent; in ſecundo de miniſteriis unicuique eorum propriis; in tertio, de eorum martyrio, morte, ac præ reliquis præſtantia.

Idem in explicatione, quam habet Evangelii S. Matthæi in utriuſque Apoſtoli ſollemnitatem verba facit de honore, qui S. petro tribuitur, propter illius eximiam fidei confeſſionem.

Idem ſeorſum habet ſermonem unum *de Fide Petri*, & eſt quadrageſimus ſeptimus, ubi eloquenter deſcribit, quomodo ſe conjecerit in mare, ut Salvatorem ſequeretur, & quomodo ſuper aquas ambulaverit.

S. Chryſoſtomus Orationem habet de Sanctis Petro, & Paulo.

Idem *tomo* 6. habet Panegyricum de iiſdem Apoſtolis, ſed credunt quidam hunc hujus auctoris non eſſe; fuſius de eorum martyrio præſertim verba facit.

Idem *Homilia* 55. *in caput* 16. *Matthæi* ſummis extollit laudibus confeſſionem S. Petri, ac meminit præmii, quo inde affectus fuit.

Idem *de Vinculis Petri*, quod Proculo nonnulli acceptum referunt, loquitur de auxilio quod Petro tanquam Eccleſiæ Capiti Dominus pollicitus eſt.

Venerabilis Beda *in Vigil. Apoſt. Petri, & Pauli* habet homiliam in hæc verba: *Simon Joannis, diligis me plus his?*

Idem Homiliam habet in textum Evangelii ſollemnitatis horum Apoſtolorum.

Idem Sermonem habet de Sanctis Petro, & Paulo, ubi de cauſſa Martyrii ipſorum verba facit.

Euſebius Emiſſenus habet homiliam in duorum Apoſtolorum feſtivitatem.

S. Maximus ſex habet Homilias, ubi modo verba facit de S. Petro peculiariter, modo de iis, quæ illi ſunt cum S. Paulo communia.

S. Leo duos habet Sermones, quorum primus Sanctis Petro, & Paulo communis eſt, alter vero proprius S. Petri, ubi de illius agit primatu, dignitate, prærogativis.

Idem *Serm.* 3. *in anniverſ. ſuæ aſſumpt.* oſtendit Dei filium ita Prædicationis officium Apoſtolis omnibus fuiſſe partitum, ut illud peculiariter S. Petro commiſerit.

Idem in ſermone primo de Apoſtolorum horum die feſto narrat labores, ac itinera S. Petri, & converſiones ab illo peractas,

Cardinalis Petrus Damiani duos habet ſermones, alterum de S. Petro ſingillatim, & alterum ubi ſcite comparationem hujus inſtituit cum S. Paulo.

Innocentius Papa III. duos quoque habet in feſtum diem duorum horum Apoſtolorum, ubi fere non loquitur niſi de S. Petri felicitate, dignitate, fide, caritate, & poteſtate.

Optatus Milevitanus adverſum Parmenionem conſtituit S. Petri primatum in alios Apoſtolos.

S. Bernardus ſermonem habet pro Vigilia utriuſque Apoſtoli, alterum pro die feſto illorum; ac præterea duos alios, ubi agit de hac ſollemnitate.

S. Bonaventura in Sermone quodam de die feſto Sanctorum Petri, & Pauli pro themate aſſumit hæc S. Matthæi verba: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim &c.*

Sanctus quoque Thomas ſermonem habet in horum Apoſtolorum feſtum diem, ubi S. Petrum ſoli comparat, & S. Paulum lunæ, pro themate illa proferens verba; *Fecit Deus duo luminaria magna.*

Guerricus Abbas tres habet de eorumdem Apoſtolorum feſto, ſed tertius videtur potius ſecundi continuatio.

Abbas Odilon Sermone de eorundem Apoſtolorum Vigilia.

Guilielmus Pariſienſis ſermone in eorumdem diem feſtum.

Hugo a S. Victore, *tom.* 2. *Inſtit. Monaſt. Serm.* 68.

Gerſon Sermonem habet de SS. Petro, & Paulo, eorumque elogium modo generatim, modo ſingillatim proſequitur.

Dionyſius Carthuſianus tres habet Sermones; primum de Apoſtoli S. Petri prærogativis, alterum de duobus hiſce Apoſtolis ſimul, tertium de illorum ſeparatione, & Martyrio.

Pater Novet tres habet de S. Petro Meditationes ſingulas in plura puncta diviſas, quæ complectuntur quidquid in Elogium conferri poteſt.

Pater a Porta ex Carmelitarum familia parte tertia libri, cui titulus, *la Conduite de la Grace*, ubi oſtendit, fidem debere nos Eccleſiæ, & Cathedræ S. Petri ſubmittere. *Aſcetici, aliique.*

P. Haineuve ſub finem tertiæ partis meditationum, unam habet de Feſto Sanctorum Petri, & Pauli.

A Ponte, omneſque illi, qui meditationes de Salvatoris paſſione proponunt, peculiarem habent de S. Petri negatione, & pœnitentia.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in tertia parte de myſteriis, ubi plures habet ſermones de Paſſione, quartus eſt de lapſu S. Petri, deque illius pœnitentia. Idem fuſius de re eadem loquitur in primo tomo de Myſteriis, qui nonus eſt tomus Bibliothecæ Concionatorum.

Præterea Theologos, Interpretes, Auctores Controverſiarum, qui verba fecerunt de viſibili Eccleſiæ capite, Summo Pontifice, D. Petri ſucceſſore.

Omnes fere veteres Concionatores, & Granatenſis, aliique eodem in Sermone S. Petri, ac S. Pauli ſimul laudes complexi ſunt; Recentiores vero eas ſepararunt, vel ſaltem in editis ſermonibus ſeorſim de S. Petro locuti ſunt. *Concionatores nuperi, & alii.*

Molinier licet paullo antiquior tomo 2. Panegyricorum.

Biroat in Panegyricis tomo 2.

P. Senault Oratorii Presbyter tomo primo tertiæ editionis.

P. Texier, tomo primo Panegyricorum.

P. Duneau, item tomo primo.

Fromentier in Panegyricis.

Abbas du Jarry.

P. Bourdaloue Tomo primo Panegyricorum.

Elogia Hiſtorica Sanctorum Tomo ſecundo.

Auctor ſermonum in omnia argumenta Tomo ſecundo Panegyricorum.

In ſpeciminibus Orationum Panegyricarum, Tomo primo, tria deinceps inveniuntur compendia Sermonum in S. Petri laudem.

PARGRAAPHUS III.

Loci, figuræ, exempla, applicationes quorumdam Scripturæ locorum ad hoc argumentum.

AMbulans Jeſus juxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare, & ait illis: Venite poſt me; & faciam vos fieri piſcatores hominum: at illi relictis retibus ſecuti ſunt illum. Matth. 4.

Vos, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum veniſti. Matth. 16.

Beatus es Simon Barjona, quia caro, & Sanguis non revelabit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt. Idem ibidem.

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Ibid.

Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis. Ibid.

Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus - Matth. 10.

Intuitus autem Jeſus Petrum, dixit: Tu es Simon filius Jona; tu vocaberi Cephas, quod interpretatur Petrus. Joann. 1.

Exinde eris homines capiens. Luc. 5.

Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus quia tu es Chriſtus Filii Dei vivi. Joann. 6.

Recede a me, quia peccator ſum. Luc. 5.

Omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte. Reſpondens autem Petrus, ait illi: & ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Matth. 26.

Ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet ter me negabit. Ibidem.

Ait illi Petrus: etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Ibidem.

Jeſus dixit Petro: Sic non potuiſti una hora vigilare mecum? Ibidem.

Rerordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat, priuſquam gallus cantet ter me negabis, & egreſſus foras, flevit amare. Ibidem.

Petrus ſervabatur in carcere: Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Act. 12.

Dixit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei; Paſce agnos meos. Joann. 21.

Dicit ei tertio Jeſus: Simon Joannis amas me? Ibid.

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.N.

Dicit ei Petrus: Domine, tu omnia noſti; tu ſcis, quia amo te. Ibidem.

Cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Ibidem.

Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Luc. 22.

Exempla, & figuræ ex Bibliis deprompta.

Duo luminaria magna a Deo ad orbem illuminandum ab initio poſita ſunt figura SS. Petri, & Pauli in Eccleſia.

QUemadmodum in orbis creatione præter multitudinem ſtellarum, quæ in cælo ſunt, & quibus ſingulis ſuæ inſunt virtutes ſingulares, fecit Deus duos lucis globos, quorum alter diei præeſt, & anni tempora metitur, alter vero nocti, ejuſque tenebras illuminat; ita Dei Filius in Eccleſia ſua ſtatuenda præter Apoſtolorum, Sanctorumque multitudinem, qui ſunt inſtar ſtellarum fixarum quibuſdam locis inhærentium, efformare voluit magna hæc duo luminaria, quæ refulgent, & quorum Eccleſia Sancta hodierna die feſtum concelebrat. Horum alterum diei præeſt, & in univerſum Catholicum orbem influxus, & lumina divini Solis Juſtitiæ effundit; & eſt S. Petrus; alterum vero, quod præeſt nocti, ſuamque lucem diſpergit, eſt S. Paulus Apoſtolus. Illud præeſt regimini Eccleſiæ ſupremam poteſtatem obtinens, velut aſtrum diurnum; & fax Judæorum, & eſt S. Petrus Apoſtolus; hic illuminat tenebras Mundi & diſſipat Gentilitatis errores, & S. Paulus Apoſtolus eſt. Licet enim S. Paulus Apoſtolus fuerit vas electionis, & lumen Gentium: quamvis pluribus ſeſe laboribus exercuerit, quam alius quivis fratribus ſuis, quamvis raptus fuerit uſque ad tertium cælum, viderітque ea, quæ neque voce exprimere, nec mente aſſequi mortalis quilibet valeat; ſi tamen cum Apoſtolorum Principe conferatur, huic primos cedit honores, quippe qui illi inferior eſt, ac mutuatur ſuum lumen ab illo: uni tantum Petro Dei Filius dixit: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua:* (*Luc.* 22.) Uni Petro dixit Dominus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:* Uni Petro dixit. *Paſce agnos meos, paſce oves meas, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Honor quē Rex Aſſuerus Amano familiari ſuo & quem Pharao Joſepho, contulit levis figura eſt illius quem Dei filius contulit S. Petro, illi Regni ſui claves committens.

Nunquam Rex Aſſuerus honorificentius excepit Amanum familiarem ſuum, quam cum regium eidem annulum, ſupremamque in ditione ſua contulit auctoritatem: Nunquam Pharao magnificentius remuneratus eſt merita Joſeph, cum illum ſua purpura & aurea torque dignatus, univerſis Ægypti populis imperavit, ut ad illum colendum in genua procumberent: quam J. C. ſupremus cælorum, terrarumque dominator S. Petrum decoravit, & in manibus ejus Regni ſui claves depoſuit: *Tibi dabo claves Regni cælorum.* (*Matth.* 16.) Simul enim ſecundum S. Leonis ſententiam, illum in partem arceſſivit ſupremi ejus imperii quod æternæ nativitatis ſuæ jure ad ipſum pertinet: *Quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſunt tibi mecum participatione communia.* De Principe igitur Apoſtolorum in ſenſu prorſus ſingulari explicari poſſunt verba illa; *dabo ei ſedere mecum in throno meo.* (*Apocal.* 3.) Sed quo throno? Eccleſia J. C. cujus regiminl S. Petrum præfecit.

Quorundā Sanctorum Patrum alluſio ad petram, qua David percuſſit Goliath.

Prodigium fuit, quod mortales omnes affecit admiratione; cum David inermis proſtravit Goliath terribilem illum gigantem, qui ferro indutus erat. Sed non conſuevit Deus ſuis victoriam ferro largiri. David læva baculum gerens, aliquot ſilices eligit, & unico utitur lapide, quem in Gigantis frontem impegit. Carneus ille coloſſus ad Davidis pedes corruit; qui illi caput abſcidit, abſtulitque. Sancti patres, non dignati ſunt hac uti hiſtoria, ut illam applicarent celeberrimæ illi victoriæ, quam Davidis abnepos, videlicet Mundi Salvator retulit, cum mundo poſitus eſt. Mundus erat Coloſſus hic, totus ferro indutus propter ſcelerum & abominationum multitudinem, quæ illum impermeabilem efficiebant lumini Evangelii. Roma caput erat Coloſſi hujus. Verus David Gigantem hunc ſternere cupiens, crucis tantum baculo utitur, eique petram addit ex aliis pluribus electam, eamque ejaculatus in gigantis caput, illum proſternit. Petra hæc eſt S. Petrus Apoſtolus a Salvatore miſſus contra hoc monſtrum iniquitatis: Petrus vero crucis baculo uſus, quod a Magiſtro ſuo doctus fuerat, caput illud dejicit, illam Mundi caput, Romam videlicet; illius potitur, eamque ſuo Domino adquirit. Poſt hanc victoriam J. C. ſemper regnat in perſona Vicarii ſui, Summi Pontificis in Metropoli Mundi totius, quam hac una petra adquiſivit. Nemo erat, niſi Omnipotens Deus, qui immanem hunc coloſſum poſſet profligare.

Fructus quem Dei filius, totaque Eccleſia percepit ex lapſu, & peccato Sāncti Petri efficit, ut cum Adæ peccato nequeat comparari.

Merito admirari poſſumus Dei providentiam, quæ per vias, quæ humanam fallunt prudentiam, pervenit ad æterna conſilia ſua perficienda. Permiſit Deus, ut S. Petrus, magna illa fidei columna labefactaretur, ut poſtquam per pœnitentiam ſurrexiſſet, magis, magiſque confirmaretur, & lapſus ſui ſcandalum glorioſe per converſionem ſuam repararetur. Itaque de S. Petri ſcandalo dici poteſt, quod de lapſu Adæ dicit Eccleſia, culpam hanc felicem, ac neceſſariam fuiſſe, quia illam Sanctus hic cum fenore reparavit, ut S. Auguſtinus ait, & providentia illic magnos fructus percepit. Zelus eorum qui putant, S. Petri gloriam imminui, cum criminis illius memoria repetitur, ſimilis eſt illi Ozæ Levitæ, qui videns arcam labaſcere, eo quod animalia, quibus deferebatur, ceſpitarunt, extendit manum ſuam, ut eam ſuſtineret, non cogitans, S. Gregorius Magnus ait, Arcam ideo nutaſſe, ut magis firmaretur. Itaque non putamus fundamentalem hanc Eccleſiæ petram penitus corruiſſe; permittit Providentia ut ad breve momentum quatiatur, ſed ut ad finem uſque ſæculorum inconcuſſa maneret. J. C. tentatus fuerat in omnibus abſque peccato; quia peccatum cum Sanctitate ſimul eſſe non poterat. Opus erat ut hæc humiliatio, quæ decere non potuerat illum, qui ſemper futurus erat inviſibile Caput Eccleſiæ, in viſibili Capite inveniretur; ut haberemus Pontificem, qui ſine ulla exceptione compati poſſet omnibus infirmitatibus noſtris, illi etiam peccati, eo quod illas fuiſſet expertus. S. Petrus crimen ſuum lacrimis eluit, fere ſimul ac illud patravit, & videtur peccator fuiſſe tanto dumtaxat temporis ſpatio, quantum requirebatur, ut providentiæ conſilio deſerviret.

Per communicationem tituli, qui proprius eſt filii Dei, S. Petrus appellatur fundamentum, ac petra prima ſuper quam Salvator voluit Eccleſiā ſuam ædificare.

Mundi Salvator nos docet in Evangelio eum, qui domum ædificaturus eſt, debere illam extruere ſuper firmam ſolidamque petram, ut fluviorum exundationibus, ac vi tempeſtatum reſiſtere valeat: ita cum ædificare voluit Eccleſiam ſuam, ſpirituale hoc ædificium extruxit ſuper petram inconcuſſam, ut reſiſtere poſſet procellis perſecutionum, exundationibus impietatis, oppugnationibus hæreſeos, & ad finem uſque ſæculorum ſubſiſtere. Hæc myſtica petra non aliud eſt, quam ipſe. Eccleſia ædificium eſt. Ædificium habet fundamentum, ſuper quo ſcitus faber multos lapides diſponit, eoſque ſecundum artis regulas ſimul connectit, & lapides iſti ſimul conjuncti ædificium conſtituunt. Fundamentum ſuper quo Eccleſia eſt ædificata, eſt J. C. S. Petrus Apoſtolus Dei Filium lapidem viventem appellat, & S. Pau- ait [*Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* (1. *Cor.* 3. 11.) Dei Filius ipſe eſt præcipuus architectus, qui Eccleſiam ſuam ædificavit. Quamvis eſſet omnipotens, quamvis hominum miniſterio non indigeret, eos vocavit, eorumque opera uti dignatus eſt, eoſque in omnes terrarum plagas mitit. Hac re illam ſapientiam, atque potentiam ſuam oſtendit. Quomodonam homines infirmi adeo feliciter ordiri, ac inſtituere potuiſſent opus difficillimum, & maxime neceſſarium, quod unquam cœptum fuerit, niſi Omnipotens Deus illis præfuiſſet, profuiſſetque? J. C. ergo eſt ſolidum illud fundamentum, ſuper quo Eccleſia ædificata fuit. Illi quibus uti dignatus eſt ad conſilia ſua rite exequenda in partem accedunt auguſtiſſimæ hujus qualitatis, quæ proprie loquendo, unum illum decet. S. Petrus omnium Princeps Apoſtolorum per J. C. eſt Eccleſiæ fundamentum. Ipſe præcipuum eſt illius fundamentum, primuſque lapis, & Caput Eccleſiæ totius.

Nominis mutatio a Deo facta in aliquibus veteris Teſtamenti perſonis ſemper magnum aliquod ipſius conſilium de illis indigitavit.

Palam videmus præſtantiam dignitatis S. Petri præ reliquis Apoſtolis cum in nominis mutatione, cum in ſignificatione, & virtute hujus ejuſdem nominis, quod illi Salvator impoſuit. S. Chryſoſtomus (*S. Chryſoſt. in c.* 1. *Joann.*) de hujus nominis impoſitione loquens, animadvertit Deum nunquam nova hominibus impoſuiſſe nomina, niſi ob graviſſimas cauſſas, atque ut ſignificaret privilegia illis conceſſa, quorum nomen immutavit. Ita mutato nomine Abram, hunc Abraham appellavit, quod ſignificat Patrem multitudinis, ad innuendum illum, cui effœta viribus ætas cum ſua, tum conjugis ſuæ, quæ ſterilitate laborabat, omnem poſteritatis ſpem referebat, tamen ſingulari Dei Beneficio futurum patrem populorum, gratia illi fecunditatem a natura negatam largiente. Ita Dei Filius unius Sancti Petri ex Apoſtolis nomine mutato, oſtendere voluit, ſe illum privilegiis præ reliquis fratribus eſſe cumulaturum. Patet enim ex Evangelio Salvatorem huic uni mutaſſe nomen; & licet S. Marcus dicat; A Salvatore Majorem Jacobum, Sanctorumque Joannem *Boanerges* fuiſſe appellatos, hoc fuit ſuperadditum nomen, atque epithetum, quod eorum ſignificant fortitudinem, quandoquidem illis nomina ſua ſemper adhæſerunt. S. Petrus igitur ſolus eſt, cui J. C. nomen mutaverit, illum quodammodo attollens ſupra totum Apoſtolicum Collegium, & novi nominis præſtantia, prærogativarum ſuarum dignitatem declarans. Ejus præeminentia videtur in ſignificatione nominis *Cephæ*, quod illi J. C. impoſuit, hoc nomine ex S. Hieronymi animadverſione Syriace *Petram*, & Græce *Caput* ſignificante juxta Optatum Milevitanum libro ſecundo contra Parmenionem. *Tu es Simon, filius Jonæ: tu vocaberis Cephas*, dixit illi Dominus. Qua in re teſtari voluit, quod Diſcipulo ſuo nomen imponens eum deſtinabat, ut aliquando eſſet fundamentalis Eccleſiæ ſuæ Petra, & viſibile caput Myſtici Corporis ſui.

Ethnicorum oracula ceſſarunt, non autem Eccleſiaſtica per organum Ponticum ſucceſſorum S. Petri, & Vicariorū J. C.

Oraculorum ſilentium, & ceſſatio reſponſorum, quæ de ſimulacris numinum reddebantur, in Divini Verbi nativitate ſtuporem injecit hominibus etiam eruditiſſimis, effecitque, ut crederent, vapores magna in copia terram inter, cælumque ſublatos prohibere, ne ſacerdotes, qui oracula proferre conſueverant, loquerentur. Eccleſiæ Filiis timendum non eſt, ne Eccleſiæ oracula ex S. Petri Cathedra emanantia ſint deſitura. Fatemur quidem Capita Eccleſiæ J. C. quatenus homines obnoxios eſſe, non ſecus ac ceteros cupiditatibus ſuis, & eorum aliquos etiam nefarios, ac male moratos extitiſſe, ſed credendum eſt vitia, & cupiditates ſedentium in S. Petri Cathedra, nobiſque Eccleſiæ ſenſum explicantium obeſſe nequaquam poſſe doctrinæ, & veritati, quam nobis credendam proponunt. Si quatenus homo Pontifex

ſummus

ſummus deficere poteſt, & etiam in rebus nonnullis errare, quatenus caput Eccleſiæ, ſummus illius Paſtor, os, & lingua Eccleſiæ, & hujus Eccleſiæ, contra quam inferorum portæ prævalere non poterunt, habentem Spiritus ſancti opem, quam illi pollicitus eſt Jeſus Chriſtus in iis, quæ ad fidem, ac diſciplinam pertinent, nunquam poteſt errare. Si Papæ non ſemper innocentiam tuentur; Deus non ideo revocat illorum auctoritatem, atque infallibilitatem, quam ſuæ Eccleſiæ ſpopondit, in cujus nomine ſua profert judicia. Quatenus Eccleſiæ capita nunquam Apoſtolicam fidem amittunt, & morum eorumdem defectus defectum juriſdictionis non infert. Perſonalia ipſorum peccata nihil imminuunt vim veritatum, quas nobis proponunt. Illorum auctoritas non eſt ex ipſorum infirmitatibus metienda. Privilegia, & Dei beneficia metienda non ſunt ex meritis eorum, qui illa diſtribuunt. Cum illi peccant, non inde judicium ferendum eſt, quaſi non haberent jus impetrandi: nam ſicuti S. Paulus ad Romanos ait tertio: *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* (*Ad Rom.* 3.) Patet ergo Romanos Pontifices tanquam Capita univerſalis Eccleſiæ, non poſſe Eccleſiæ nomine loquentes quidquam nobis proponere veritati, boniſque moribus contrarium. Ulluſne mortalis eſt adeo modici ſenſus, qui velit arguere, pro perſonalibus unius Pontificis peccatis, velle Deum datam retractare fidem, & ita annihilare veritatem, quæ a Verbo ejus non poteſt avelli? Hæc profecto eſſet blaſphemia.

S. Petrus illi comparatus lapidi, qui evulſus a monte ſtatuam a Nabuchodonoſor, in ſomnis viſam comminuit.

Cuinam æquius comparare poſſumus ingentes Sancti Petri progreſſus, quam parvo lapidi, qui a monte divulſus ſine ulla mortalium ope, alliſus in ſimulacrum illud, quod in ſomnis viderat Nabuchodonoſor, illud omnino confregit, atque contrivit? Ita S. Petrus nullo hominum Miniſterio ſublatus, imbecillis ex ſe, ſed fortiſſimus, quia divinitus indutus fuerat fortitudine, potentiſſima ſubvertit imperia, eaque Evangelico jugo ſubjecit. Cogitationes veſtras liberius excurrere ſinite; luſtrate Europam, Aſiam, Africam, & Americam; videbitis vaſtiſſima imperia, & florentiſſimas provincias, quæ dæmoniis litabant, & Idolorum cultui devota erant, ſe ſe humillime Salvatoris jugo ſubjicere. Roma ipſa, illa terrarum domina non ne penitus immutata fuit, poſtquam ibi S. Petrus ſuam ſedem conſtituit; cum enim Ethnica eſſet, dæmonumque mancipium, facta eſt non ſolum pacis, & unitatis Centrum, verum etiam totius Chriſtianiſmi Metropolis.

S. Petrus forti armato comparatus, qui aufert inimici ſpolia, eumque ejicit, totamque domum ſibi ſubjicit.

S. Petrus ad litteram adimplevit quod Jeſus Chriſtus nobis in Evangelio indigitavit; fortem armatum ingredi in Domum inimici ſui, inde omnia auferre ſpolia, totaque domo potiri. Ita S. Petrus potitus eſt Mundo ejiciens dæmonem, qui illum ſibi uſurpaverat. Mundus totus communis hujus hoſtis ſervus erat. Ille erat vere fortis hic armatus, verum S. Petrus monſtrum illud palam adortus, eripuit illi ſpolia quæcumque de Mundo retulerat; eum de ſolio deturbat, & locum ejus invadit. Ex quo Sanctus hic Apoſtolus tantam retulit de communi hoſte victoriam, quot illi interna, externaque bella ſuſtinenda fuerunt? Sed nolite metuere, immo plane confidite: Petrus Dei virtute roboratus hunc hoſtem evertet, ac tot de illo triumphos refert, quoties ille hunc adoriri conabitur.

S. Petrus Salvatorem amans collatus cum S. Joanne dilecto Salvatoris Diſcipulo.

Diſtingui poſſet S. Petrus ab aliis Diſcipulus eum appellans Diſcipulum, qui diligebat Jeſum: Omnes diligebant, & diligebantur, uno excepto Juda proditore; ſed S. Joannes erat Diſcipulus dilectus, & S. Petrus Diſcipulus diligens. Ubi hæc haberi poſſet quæſtio, quid optabilius, vel utilius ſit, a Jeſu diligi, an Jeſum diligere? Hinc quidem præſtare videretur illum diligere; perfectio enim Chriſtiana in Dei amore ſita eſt, & qui amat illum, perfectior eſt. Atqui præ ceteris nobis optanda eſt perfectio noſtra, ut hoc Filii Dei conſilium ſequamur: *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* (*Matth.* 5.) Debemus etiam præ ceteris cupere, ut Dei voluntas impleatur in nobis, ut nemo magis ſanctificari poteſt quam Deum diligendo; Adde his, æquius eſſe, ut Deum diligamus, qui hoc infinite meretur, quam æquum ſit, nos ab illo diligi, nos quibus nullæ ſunt dotes, propter quas ab illo mereamur amari. Sed nobis magis cupiendum eſt id, quod eſt æquius. Ex altera vero parte amor, quo Deus hominem proſequitur, fecunda eſt omnium bonorum origo; & ideo, qui a Deo magis diligitur, ſimul majora amoris illius recipit argumenta, quæ omnia hominum explent vota: cumque in terris nulla ſit major felicitas, quam magni cujuſpiam Regis amiciſſimum eſſe, ita nulla felicitas eſt cum ea comparanda, qua fruitur, qui dilectus eſt Regis Regum, & objectum, in quo hic ſibi optime complaceat. Quis Beatiſſimum ſe non putaret, ſi de ipſo diceret Deus quod de Unigenito ſuo dixit, dum iſtic a S. Joanne baptizaretur. *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* (*Matth.* 3.) Rationes hæ utrinque allatæ hominum ſenſus, menteſque in diverſa pertraxerunt; aliis affirmantibus S. Petri conditionem meliorem eſſe, aliis S. Joannis ſortem præferentibus. Comparatio hæc inutilis profecto eſt, & fruſtra quæritur, utrum præſtet, Jeſum amare, an amari a Jeſu, & ratio eſt, quia hæc duo invicem nequeunt ſeparari; cum fieri nequeat, ut Jeſum diligas, quin ab eo diligaris, & viciſſim ab eo diligi, quin diligas eum; hoc autem, ſecundum legem communem, quam Deo placuit ſtatuere, non autem ſecundum ea, quæ abſoluta potentia a Deo poſſent fieri. Menſura amoris, quo nos diligit Deus, amor eſt, quo illum proſequimur; quo magis diligimus. eo magis diligimur: ſi enim dixit; *Ego diligentes me diligo*, (*Prov.* 8.) optima illatio eſt, ab ipſo magis amari illum a quo magis amatur; Et ſi verum eſt, quod J. C. dixit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & eum diligam*; (*Joann.* 4.) proculdubio, qui ferventius Jeſum diliget, ferventius diligetur a Jeſu. Hinc ſequitur ex duobus æque Deum diligentibus alterutrum a Deo non magis diligi, quam alterum. Si ergo S. Petrus majori amore complexus eſt Deum, quam S. Joannes, magis, quam S. Joannes dilectus fuiſſet ab illo, & ſi S. Joannes magis dilexiſſet Deum, quam S. Petrus, dici poſſet, dilectum etiam magis fuiſſe, quam S. Petrum.

Comparatio fidei S. Petri cū fide nonnullorum, quos Dominus noſter laudavit.

Jeſus Chriſtus de Centurionis fide verba faciens ait ſe non *inveniſſe tantam fidem in Iſrael*; de fide Chananææ loquens exclamavit, *magna eſt fides tua!* & Sermonem habens de aliis, qui ad ipſum accedebant, ut curarentur, vult illos confidere, ac teſtatur, eos fide ſua ſalvos fieri. Petri autem fidem palam extollit, probat laudibuſque proſequitur, eam præmatura beatitudine remuneratur, illi firmitatem contra portas inferi profitetur, dicens, adverſus eam nunquam ſatis virium habituras, illi confert poteſtatem ante illud tempus inauditam ligandi, & ſolvendi, aperiendi, & claudendi Regnum Cælorum, cujus claves illi committit. Hinc ferte judicium, ſi vultis, Richardus a S. Victore inquit, de hujus fidei magnitudine ex tali præmio, ex ſingulari pretio, in quo eſt apud Jeſum Chriſtum, & ex elogiis locupletiſſimis, quibus illam exornare dignatus eſt,

S. Petri fides, & merces major eſt quam fides, & merces Abrahæ. *Geneſ.* 22.

Olim Deus muneratus eſt Abraham illum patrem efficiens plurimarum gentium, eo quod verbo ejus credidit, & quod contra ſpem ſperavit. *Quia feciſti honorem, benedicentur in ſemine tuo omnes reges terræ.* Ita ſane; quia mihi fidele præbuiſti fidei tuæ teſtimonium, multiplicabo poſteritatem tuam ſupra numerum ſtellarum, eamque ita ſtabiliam, ut in omnia ſæcula ſubſiſtat, atque ita extendam, ut terram repleat univerſam. Hæc magnificentiſſima promiſſio, quam Deus fecerit in lege veteri, & maxima illa merces, quam Sanctus hic ſperare poterat. Sed hæc promiſſio, & hæc merces comparanda ne eſt cum illa, quæ Sancto Petro tribuitur? Fit hic, ut Sanctus ille Patriarcha; Fidelium pater, & caput non unius tantum populi, ſed totius Eccleſiæ, quæ populos omnes, omneſque Gentes complectitur; ſubditi illius ultra Stellarum Cæli numerum multiplicantur; quia hæc Sanctorum multitudo, qui in beatam hanc ſedem ingreſſuri ſunt, illius juriſdictioni parebunt. Extendet ditionem ſuam ad utrumque terræ cardinem, ut ex omnibus mortalibus una fiat Eccleſia, caput cujus hic Apoſtolus electus eſt, in cujus gratiam videtur futurum, ut illa ad ſæculorum uſque finem ſubſiſtat, ac ita roboretur, ut nullis unquam licet validiſſimis, ac maxime violentis concuſſionibus poſſit labefactari: *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* (*Matth.* 16.)

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ huic Argumento.

Dei Filius interrogat Apoſtolos ſuos, quænam mundi eſſet de ſe exiſtimatio, & quid ipſi de ipſo ſentirent.

QUem dicunt homines eſſe filium hominis?* Matth. 16. Hoc aliquando ex Diſcipulis ſuis Dei Filius quæſivit. Vos qui noſtis hominum ſenſus, audacter mihi dicite, quid de me ſentiant. Quærenti reſponderunt Diſcipuli; alios quidem illum Eliam alterum habere, miraculorum magnitudine captos; Herodem vero exiſtimare, ipſum eſſe Joannem Baptiſtam, qui a mortuis reſurrexit, ut rationem repoſcat ſanguinis ſui; ab aliis etiam, qui illum prædicantem audierant, exiſtimari Jeremiam, vel aliquem ex Prophetis, ad terrarum orbem reformandum cælitus datum. Ecce quomodo homines in diverſa abeant, ut totidem fere ſententiæ ſint, quot capita. Sed hic moratus non eſt Salvator; & ſicuti interrogationis ſuæ cauſſa non erat inanis, & ſupervacua curioſitas ſciendi, quid de ſe diceretur, ſed conſilium Apoſtolos omnes in divinitatis ſuæ fide conjungendi, & in cordibus eorum imprimendi hujus Myſterii fidem, quod eſſe debebat Eccleſiæ, & Religionis argumentum, proceſſit; oppoſuit illos ſententiæ populi, ac multitudinis; utque eos præpararet ad teſtimonium Divinitati ſuæ perhibendum coram Regibus, ſciſcitatur, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Perinde ac diceret: Hæc ea ſunt, quæ de me pro libidine Mundus ſentit; vos autem, quos elegi, & ſecrevi de Mundo, quos in ſchola mea enutrivi, quos miraculorum meorum teſtes habui, ut eſſetis Eccleſiæ meæ fundamenta, diſpenſatores gratiarum mearum, & verbi mei præcones, vos, quibus ſanguis effundendus eſt pro tuenda nominis mei gloria, *quem me eſſe dicitis?* quid de Filio hominis, quid ipſi de me ſentitis?

Reſponſio, quam dat S. Petrus, & glorioſa confeſſio ab eo facta divinitatis Jeſu.

Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Ibid. Ecce S. Petri ac ſucceſſorum ejus privilegium, in dubiis de fide quæſtionibus decernere. Omnibus Apoſtolis eadem erat de Jeſu Chriſto ſententia, D. Chryſoſtomus ait; ſed conticeſcunt, ut Petrus a Patre Cæleſti eruditus, & factus fratrum ſuorum caput, nomine ipſorum, tanquam os Eccleſiæ palam fidem eorum profiteretur: *Tu es Chriſtus*, reſpondit, *Filius Dei vivi*, quaſi diceret; tu qui te Filium hominis vocas, & qui ante hominum ora ſub ſervi forma verſaris, tu Chriſtus es; non ut Patriarchæ, & Prophetæ materiali oleo inuncti, ſed Chriſtus, quem unxit Dominus divinitate ſua, Dei Unigenitus per naturam, in omnibus Patri tuo par; verus Deus de Deo vero, in quo creata omnia facta ſunt, & qui rebus omnibus motum, eſſentiam, & reſpirationem

BIBLIOTECA CENTRAL

impertis. Tu es Meſſias ab initio promiſſus; quem Patriarchæ tantopere concupierunt, quem Apoſtoli annuntiarunt tanquam principem pacis, magni Conſilii Angelum, juſtitiæ, & vitæ Auctorem, qui veniſti ut nos a Satanæ poteſtate liberares. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.*

Deus dans Eccleſiæ ſuæ caput in S. Petri perſona, illum ornat cognitionibus ad glorioſum hoc munus neceſſariis.

Implevit eum ſapientia Dei, & intelligentia, & ſcientia. Exod. 35. Cum Patri Cæleſti placuit Eccleſiam ſuam ſuper terram conſtituere, eique aſſignare caput, quod in dubiis, atque difficultatibus eam illuminaret ac regeret pro filio ſuo, aperuit S. Petro conſilia ſua, eique ex eo tempore tribuit plenitudinem cognitionis atque ſapientiæ, quæ auguſto huic miniſterio erat neceſſaria; oſtendit illi omnia myſteria Dei abſconditi in eſſentia, & magis adhuc latentis in incarnatione ſua ſub integumento humanitatis ſuæ; conſtituit eum organum Apoſtolorum, effecitque ut omnium fratrum ſuorum nomine palam fidem eorum profiteretur: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Per hujus confeſſionis meritum, & ſuper hujus fidei fundamentum Eccleſiam ſuam ab initio ipſius efformavit, eamque ad ſæculorum omnium finem uſque ſuſtinebit; & Salvator Mundi Patris ſui executus imperium, hoc illi reſponſum dedit, eique hæc duo auguſtiſſima contulit privilegia, quæ illum Vicarium ſuum, viſibile Caput Eccleſiæ ſuæ, Paſtorum Principem, & mundi oraculum effecerunt: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelabit tibi;* (*Matth. 16.*) ſed mera Cæleſtis Patris mei miſericordia hæc tibi docuit. *Propterea* dico tibi (animadvertite hanc particulam, atque horum terminorum relationem) quia me confeſſus es tanquam Dei Filium, *propterea* dico tibi te Petrum eſſe; perinde ac dixiſſet, quandoquidem ex confeſſione tua ego ſum Filius Dei vivi, cui omnia parent, quæ in cælo ſunt, & in terra, & qui voco ea quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt; ego dico tibi te eſſe Petrum, videlicet unicum fundamentum & angularem petram ædificii Eccleſiæ meæ, in ea perſonam meam referentem. Mutabo nomen tuum, S. Auguſtinus inquit, non vocaberis amplius Simon, ſed Petrus; ego tibi nomen meum impertiam, S. Patres inquiunt; tibi petræ hujus angularis firmitatem conferam, te fundabo ſuper me, dicit etiam S. Auguſtinus, & ſuper te totum Eccleſiæ meæ ædificium fundabo.

S. Petrus poſt lapſum ſuum aptior factus eſt ad fratres in fide confirmandos, & pertinaces eorum mentes flectendas.

Tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Joann. 21. Cum eris converſus, erroriſque tui egeris pœnitentiam, in id incumbe, ut diſperſos fratres tuos colligas, collectoſque confirmes. At nonne S. Petrus id egit? Nonne peculiarem hanc gratiam obduratiſſima etiam corda flectendi, pertinaciſſimas etiam mentes frangendi, iiſque donum fidei inſpirandi? Cum primum Judæis prædicavit, nonne Evangelio ſubjecit modo tria animarum millia, modo etiam ad quinque millia? In ſpatio vero Apoſtolatus ſui quot illuminavit provincias, quot fundavit Eccleſias? Loquebatur apud Judæos infeſtiſſimos ejus legis inimicos, quam illis nuntiavit; loquebatur apud Ethnicos inter ſuperſtitiones, atque craſſiſſimæ idololatriæ tenebras enutritos, & nihiloſecius eos perſuadebat, eos ſanctificabat, eos perfectiſſimos Chriſti fideles efficiebat. Nos eamdem vobis legem prædicamus, quam ille; eaſdem vobis veritates nuntiamus, quonam inverſionis prodigio factum eſt, ut modo in Chriſtianæ Religionis centro non eamdem vim obtineant, quæ apud Judæos, Ethnicoſque obtinuerunt.

Excellentia confeſſionis S. Petri nos docet quidquid nobis credendum eſt de J. C. Perſona.

Reſpondit Simon Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Matth. 16. O præclaram S. Petri reſponſionem! Hoc authenticum eſt fidei, zelique ipſius pro J. C. teſtimonium. Hoc inſigne eſt documentum, quo docemur, quid credere teneamur. Hoc abſolutiſſimum eſt exemplar, quod ſequi debemus. Ut J. C. noſtram probemus fidem non licet nobis verbis uti, quæ melius indigitent, quid nobis cogitandum ſit, quam iis, quibus uſus eſt J. C. Repetamus ſæpe cum cum hoc Apoſtolo: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Confitetur Jeſum eſſe Chriſtum, videlicet Meſſiam, quem prædixerunt Prophetæ, quem concupierunt Patriarchæ, quem omnes tandiu expectarunt. Neque hic ſubſiſtit: fatetur J. C. eſſe filium Dei vivi; quibus verbis S. Petrus declarat non ſolum J. C. eſſe Dei Filium, ſed tenet, quemadmodum textus Græcus ait, unigenitum eſſe Dei, Filium antonomaſtice. Tenet, ex S. Chryſoſtomi ſententia; (*Homil. 54. in Matth.*) Jeſum eſſe Filium, qui natus eſt ex propria Patris ſubſtantia; Filium eſſe modo unico, & alteri cuilibet incommunicabili. Quod præcedit Sancti Petri reſponſionem, oſtendit S. Petri mentem eſſe J. C. ſuper omnes Prophetas attollendi, Prophetæ enim per adoptionem tantum erant Filii Dei: cum igitur aſſerit J. C. eſſe Filium Dei, innuere vult, Filium Dei eſſe per naturam. Plures confeſſi ſunt J. C. eſſe Filium; non ideo tamen eumdem meriti ſunt honorem, quem hodierna die recipit S. Petrus; quia non agnoverunt J. C. eſſe Filium Dei eo modo, quo S. Petrus fatetur.

S. Petri Confeſſio divina revelatione fuit inſpirata.

Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Matth. 16. Nihil aptius nobis magnum aſtruere poteſt conceptum confeſſionis S. Petri, quam J. C. reſponſio. Beatus es Simon filius Joannis; neque enim caro, & ſanguis hoc tibi revelarunt: ſed Pater meus, qui eſt in cælo. S. Petrus ardentiſſima caritate J. C. proſequebatur; attamen nequaquam in ſuſpicionem venire poteſt illi fuiſſe adulatum, cum illum Dei Filium eſſe confeſſus eſt. Non locutus eſt humanæ amicitiæ motu, ſequutus eſt afflatum, quem cælitus hauſerat, Petrus quidem locutus eſt, ſed Pater Æternus ingeſſit in os, & cor ejus verba, quæ protulit. Beatus eſt Petrus. Quæ felicitas eſt eorum eſſe numero, quos inſtruit Deus, & quibus ſua ſecreta revelat! *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi;* Pro carne, & ſanguine intelligendi ſunt homines, qui carne, & ſanguine conſtant. Oſtendit igitur J. C. non ab hominibus S. Petrum hauſiſſe veritatem, quam confitetur; hæc gratia eſt, quam Patri cæleſti unice debet, & ſicuti tota hominis in hac vita felicitas hæc eſt, ut cæleſtibus gratiis cumuletur, J. C. declarat S. Petrum eſſe beatum, quia illum eligere dignatus eſt Deus, ut hoc illi revelaret, & quia hoc certiſſimum, digniſſimumque argumentum ſummæ bonitatis erga ſe Patris miſericordiarum accepit.

Principes fieri poſſumus beatitudinis S. Petri confitentes Jeſum ut ille confeſſus eſt.

Beatus es Simon Bar-jona &c. Matth. 16. S. Petrus beatus nuncupatur, quia J. C. confeſſus eſt. Fieri poteſtis felicitatis hujus Apoſtoli participes. Dixit Dei Filius; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Si J. C. ut S. Petrus, confeſſi fueritis, dicet ille vobis, quod huic Apoſtolo, *Beati eſtis.* At prima conditio confitendi J. C. non eſt, J. C. erubeſcere. Ait enim ille in Evangelio: *Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet cum venerit in Majeſtate ſua;* J. C. erubeſcere appello, hominibus indulgere, flagitioſi alicujus hominis irriſione deterreri; affici quidem veritatibus Religionis, & ſenſus ſuos non audere palam profiteri; liquet enim hujuſmodi confeſſiones æqui, bonique in ſæculo non fieri; turpiter veritatis partes deſerere, & pati, quod illius inimici ea proferant placita, quæ falſa ſunt, & illis oppoſita, quæ nos docuit Dei Filius. Jeſum Chriſtum erubeſcere appello, rubore ſuffundi quod habearis homo, qui officiis ſuis fungi gaudet, & tanquam verum malum timere, ne in eorum numero adſcribaris, qui vitam frugi, ſanctamque ducere profitentur. Jeſum Chriſtum erubeſcere appello ab anguſta via deflectere, quia illi cum quibus neceſſitudinem habere volumus, cenſoria nota vitæ noſtræ genus perſtringerent, ſi deprehenderent nos Religionis noſtræ inſtitutis adhærere. Jeſum Chriſtum erubeſcere appello, legibus Evangelicis non detineri, nec metu, ne Deo diſpliceamus, cum ſemel hanc mentem imbuimus, nos in ludibrium vertendos vel ſaltem teruntii faciendos, ſi muneribus noſtris ſatisfecerimus. S. Paulus Apoſtolus ait: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem:* (*Ad Gal. 1.*) vos autem Mundo placere quæritis, hominum exiſtimationem aucupamini, eorum laudes conſectamini, quorum vita oppoſita eſt principiis, quæ Deus nobis reliquit; non eſtis ergo Servi J. C.

S. Petrus a Filio Dei declaratus fuit Caput Eccleſiæ, & cur opus fuerit, ut in Eccleſia eſſet viſibile caput, & ſupremum.

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. S. Petrus cum aliis Apoſtolis comparatus eſt præcipuum fundamentum, ſuper quo Mundi Salvator Eccleſiam ſuam ædificavit. Ipſe primus eſt lapis, & Eccleſiæ totius caput. Sed cur nam voluit Jeſus Chriſtus eſſe in Eccleſia ſua caput, quod reliquis Paſtoribus etiam præeſſet? Quia dignitas, & auctoritas Capitis, quæ perpetua eſſe debebat in Eccleſia, & quæ a S. Petro ad illius ſucceſſores, ſummos Pontifices tranſiit, ſemper abſolutæ fuit neceſſitatis ad Eccleſiam regendam, ad omnia illius membra in perenni conſenſione uſque ad Mundi finem ſervanda, ad propulſanda ea omnia, quæ nova ſeſe ingerere poſſent, ad amovendos a grege Domini pſeudopaſtores illos ovinis indutos pellibus, de quibus in Evangelio ſermo eſt, cum ſint intus lupi rapaces. Neceſſe erat, in Eccleſia caput eſſe ad illius unitatem ſervandam, & eas, quæ de fide oborirentur cauſſas, definiendas. Opus fuit, ut Eccleſia Jeſus Chriſti Caput haberet, ut ſecerni poſſet a Sectis, quas homines inveniſſent, quæ multitudine, & confuſione reguntur. Hæc eſt una illa Eccleſia, quam Salvator ſupra Sanctum Petrum fundavit; ejuſque ſucceſſores deinceps ſemper futuri ſunt capita ad finem uſque ſæculorum.

Auctoritatem, & poteſtatem, quam S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus tribuit qualitas Capitis viſibilis Eccleſiæ.

Tibi dabo claves regni cælorum. Matth. 6. Hæc verba ſunt fundamentum auctoritatis S. Petri in omnem Eccleſiam, quomodo dictum eſt de J. C. in Apocalypſi: *habet clavem David,* (*Apoc. 10.*) ad illius auctoritatem indigitandam; & Iſaias verba faciens de inſtitutione ſummi Pontificis Legis antiquæ; *Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus,* (*Iſai. 21.*) & ſimili ratione ſecundum hominum conſuetudinem, cum aliquis in alicujus domus poſſeſſione conſtituitur, illius claves eidem præbentur. Ita S. Petrus recipiens claves Regni cælorum de manibus Filii Dei, parem ſibi, ſucceſſoribuſque ſuis ſummis Pontificibus recepit poteſtatem Juriſdictionis in Eccleſiam univerſam, ideoque in omnes Diœceſes particulares, & in omnes Epiſcopos, qui ſunt membra Eccleſiæ. Caput dirigit corpus univerſum, & ſoli Petro tanquam Eccleſiæ capiti Filius Dei dixit: *Paſce oves meas;* quæ verba ſenſu ſuo complectuntur regimen illi in omnes fideles Eccleſiæ filios conceſſum. Caput procurat vim, atque virtutem reliquis membris. Itaque glorioſe Apoſtole, defers in dignitate tua vivam J. C. imaginem, ejuſque perſonas exhibes; illius vicem geris, judicia ejus pronuntias, ejus theſauros in terra diſtribuis, Ipſe eſt prima Eccleſiæ petra, ac te alteram ſui fundamenti conſtituit; ipſe eſt Caput inviſibile, ac te viſibile caput eſſe voluit; ipſe paſtor eſt gregis ſui, eumque tibi paſcendum credidit; ipſe navarchus eſt, & navis gubernaculum tibi commiſit; ipſe Dominus eſt, & te œconomum elegit; ipſe

ipſe Rex eſt, & diadema ſuum tuo capiti impoſuit. Patriarchæ illum præſignarunt, Prophetæ prædixerunt, Angelus nuntiavit, Præcurſor digito oſtendit, Apoſtoli prædicaverunt, Martyres ſuſtinuerunt, Confeſſores laudarunt, ut vero ampliſſimum ſortitus privilegium, propriam illius perſonam repræſentas, & uni illi cedis.

Petrus, qui piſcium piſcator erat fit piſcator hominum.

Exinde eris homines capiens. Luc. 5. & mutato munere plures in terris, quam in mari capturas referes. Verbum meum tibi erit pro retibus, Eccleſia pro naſſa, & peccatorum ſalus tua præda erit ſimul & merces. Ad quam rem S. Ambroſius de S. Petro loquens venuſte illud protulit: *Vide quid piſcator iſte profecerit; dum in mari lucrum ſuum quærit, vitam invenit omnium.* (*Lib. 3. de Virginibus.*) Vel ut S. Auguſtinus ait: *Dimiſit retia piſcator, accepit gratiam piſcator, & factus eſt divinus Orator.* Et ſane minus eſt, quod ſimplex piſcator repente factus fuerit per gratiam primus, & celeberrimus totius orbis Prædicator.

S. Petri, ejuſque ſucceſſorum poteſtas quodammodo ſimilis eſt divinæ.

Si habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas: eſto glorioſus, & in ſublime erigere. Job 40. Hoc legimus in libro Job, & quod ſancto huic Viro dixit Deus, applicari poteſt ad eam poteſtatem quam J. C. contulit S. Petro Apoſtolo: *Si habes brachium ſicut Deus &c.* Primo enim, brachium ejus ſimile eſt brachio Dei; ejus enim poteſtas hoc nomine ſignificata, non ſecus ac poteſtas Dei quocumque protenditur, in Cælum, cujus habet claves, in terram, cujus quantacumque ſit magnitudo, tota illius poteſtati, & ſpirituali juriſdictioni ſubjecta eſt; ac tandem in ipſam mortuorum regionem, quoniam per indulgentias ab illo conceſſas Purgatorii animas liberat. Præterea loquitur ſicut Deus; *& ſimili voce tonat.* Quia ſicut unus Deus hominum peccata poteſt dimittere, S. Petrus, ut ille, dicere poteſt: *Remittuntur tibi peccata tua.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci ac ſenentiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

QUis neſcit primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum? S. Auguſt. tract. 56. in Joann.

Petra dicitur, eo quod primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Idem ſerm. 16. de Sanctis.

Petrus Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpe unus reſpondit pro omnibus. Idem ſerm. 13. de verbis Domini.

Petrus in multis locis Scripturarum apparet, quod perſonam geſſet Eccleſiæ. Idem lib. 5. hom. 45.

In uno Petro figuratur unitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, qui ſciant oves Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi. Idem ſerm. 40. de temp.

Redditur negationi trinæ trina confeſſio, ne minus amori lingua ſerviat, quam timori; & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quam vita præſens. Idem tract. 123. in Joann.

Petrus ſi non peccaſſet, peccantibus non ignoſceret. Ideo Petro magiſtro Eccleſiæ permittitur peccare, ut ejus culpa ad indulgentiam multorum proficiat. Idem ſerm. 3. de S. Petro.

Ter Dominus interrogavit Petrum, amas me, ut trina confeſſione amoris deleret trinam confeſſionem timoris. Idem ſerm. de verbis Domini.

Videtis imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Idem epiſt. 42. ad Mad.

Negavit Petrus, ſed reverſus eſt, & flendo deflevit, quod timore negauit. Incert. Auctor S. Auguſtino adſcript.

Lapis eſt ad fundamentum, columna ad ſuſtentationem, clavis ad regnum. S. Auguſtinus.

Hic eſt Petrus, qui divina revelatione primus omnium veritatem meruit confiteri: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Idem ſerm. 124.

Sit amoris officium paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem. Idem tract. 123. in Joann.

Si opem ferre poterat umbra corporis Petri, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Idem ſerm. 29. de Sanctis.

Merito per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum, quibus vinctus eſt Petrus. Idem ibidem.

Petrum fundamentum Eccleſiæ Dominus nominavit, & ideo fundamentum Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificii altitudo conſurgit. Idem ſerm. 15. de ſanctis.

Dignum eſt, ut fundamentum hoc in Eccleſia honoretur, per quod ad Cælum conſcenditur: Idem ibidem.

Nunc ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris; ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piſcatoris. Idem ſerm. 28. de Sanctis.

Dimiſit retia Piſcator, & factus eſt divinus Orator. S. Auguſtinus ſerm. 59. de verbis Domini.

Petrus immobile fidei fundamentum. Idem.

Claves regni Cælorum meruit fides Petri, quia prior agnovit Filium Dei. Idem ſerm. 6. de diverſi.

O inæſtimabilis poteſtas, & immenſa! hominem in terra poſitum tenere Cælum! Ecce nunc ad nutum Petri divini regni clauſtra pateſcunt. Idem ſerm. 19. de eiſdem.

Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio. S. Hieronym. contra Jovinianum.

Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam Petram Eccleſiam ædificatam ſcio; ſi quis extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt; ſi quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio, Idem Epiſt. 58. ad Damaſum.

Deus unus eſt, Chriſtus unus, & Eccleſia una, & Cathedra una ſuper Petrum voce Domini fundata, aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri non poteſt: quiſquis aliter collegerit, ſpargit; adulterium eſt, ſacrilegium eſt. S. Cyprian. lib. de unit. Eccleſ.

Omnes Hæretici quærunt Chriſtum, ſed non quærunt caput Eccleſiæ. Idem ibidem.

Dominus unicam Cathedram inſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Idem ibid.

Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur. Idem ibidem.

Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Idem ibidem.

Qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, quomodo in Eccleſia eſſe confidit? Idem ibidem.

Epiſcopatus unus, atque indiviſus eſt, cujus a ſingulis Epiſcopis in ſolidum pars tenetur. Idem ibidem.

Suſtentat fides quem unda mergebat, & quem fluctuum procella turbabat, Salvatoris dilectio confirmabat. Idem ibidem.

In urbe Roma quæ principatum tenet, martyrium Petrus, & Paulus pertulerunt, ut ubi caput ſuperſtitionis erat, ibi caput quieſceret ſanctitatis. Idem ſerm. 66. de Natal. Apoſtol. Petri, & Pauli.

Tantam ei gloriam dedit Deus, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigiis; metuens ne ſi in ea ſpecie crucifixus eſſet, qua Dominus; affectaſſe Domini gloriam videretur. Idem in Expoſit. in Pſalm. 113. ſerm. 22.

Claves Regni cæleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, ac ſolvendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committuntur, & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur. S. Gregorius lib. 4. Epiſt. Ep. 32.

Vere hic eſt Apoſtolorum firmamentum, & ſacratus cælorum Magiſter, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapſos erigens, Pœnitentiæ dux ardentiſſimus, denique magnum illum terrarum orbis miraculum, Chriſti os, mens cæleſtis, omni prædicatione digniſſimus. S. Chryſoſtomus homil. de vinculis Petri.

Petrus omnium erat os, ſed aſtabant illi undecim teſtimonio ſuo comprobantes, quæ ab illo dicebantur. Idem in Act. Apoſtol.

Quamvis Petrus homo ſit mortalis; cæleſti tamen pollet poteſtate. Idem de ſumma Trinit. lib. 1.

Hic eſt vertex omnium Apoſtolorum, huic primus thronus, huic ſumma poteſtas, & magnitudo ineffabilis promittitur, dum illi dicitur, tibi dabo claves regni cælorum. Idem homil. 35. in Matth.

Non aliunde obortæ ſunt hæreſes, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei, ideſt Petro, & ejus ſuceſſori non obtemperatur. S. Cyprian. Epiſt. ad Antonianum.

Quamvis in populo Dei ſunt multi Sacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen proprie regit Petrus, quo principaliter regit, & Chriſtus. Idem Aſſumpt. ſua ad Pontif.

Primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Idem ſerm. 3. de eadem.

Eccleſiæ meæ cælo inſerenda ſublimitas in hujus fidei firmitate conſurget. Idem ibidem.

Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius; & ad omnes Eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commeavit: ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur; Petro enim hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Idem ibidem.

Meruit Petrus, ut pro ſoliditate fidei, quam prædicaverat audiret: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Idem ſerm. 12. de Paſſione.

Ego nempe Chriſtus *ſum fundamentum, quod nemo poteſt ponere; tamen tu quoque petra es, quia virtute mea ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi ſint mecum participatione communia.* Idem de Aſſumptione ſua ſerm. 3.

In Petro divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Idem ſerm. 2. de Natali Apoſtolorum.

Petra, & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectum fidei fundamentum. Concil. Chalcedonenſe.

In cunctorum Apoſtolorum ſilentio, Dei Filium revelatione Patris Petrus intelligens locutus eſt, quod vox humana nondum protulerat. S. Hilarius lib. 6. de Trinit.

Ut princeps, Caputque ceterorum, Petrus exclamat: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, S. Cyrillus in Joannem.

Prius Agnos, deinde Oves, Chriſtus Petro *commiſit; quia non ſolum Paſtorem ovium, ſed Paſtorem Paſtorum conſtituit.* Euſeb. Emiſſ. vel potius S. Eucherius, vel Cæſarius.

Cæli Judex Petrus. S. Hilarius in Pſalm. 131.

O beatus Cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælo. Idem.

Bono unitatis Petrus & præferri omnibus Apoſtolis meruit; & claves cælorum communicandas ceteris ſolus accepit. Optatus Milevitan. contra Parmenianum.

Magnum Eccleſiæ fundamentum Petrus, ut Petra firmiſſima ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam. Origenes.

Ut

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.

Ut per ſacram beati Petri ſedem, Roma caput orbis effecta latius præſideret religione divina, quam dominatione terrena. S. Leo ſerm. in Natali Apoſtolor.

De toto mundo unus Petrus eligitur, qui univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponitur, Idem ſerm. 3. de Elect. ſua.

Mundi dominam non timet Petrus Romam, qui in Caiphæ domo expaverat Sacerdotis ancillam. Idem.

Vidit Petrus mentis oculis Filium Dei vivi, & confeſſus eſt gloriam Deitatis. Idem ſermone de Transfiguratione.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

S. Petrus eſt ſupremus Paſtor, qui habet juriſdictionem in eos, qui componunt Eccleſiam.

DE toto Mundo unus Petrus eligitur, S. Leo inquit, *qui univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Patribus Eccleſiæ præponitur.* Aliorum Apoſtolorum ſucceſſores, inquit S. Bernardus, habent Eccleſias peculiares ipſis ſingillatim creditas, ſed omnes generatim ſucceſſori S. Petri commiſſas: *Tibi univerſi ſunt crediti, uni omnes: nec modo ovium, ſed Paſtorum.* (*Serm. 3. de Elect. Lib. 2. de Conſiderat.*) Cujus rei Conſtat ratio; Uni quippe S. Petro dixit J.C.: *paſce agnos meos, paſce oves meas*, hoc eſt paſce populos Eccleſiæ ſubjectos; paſce & oves, hoc eſt patres, matreſque populorum, qui ſunt Epiſcopi. cum dixit oves meas, nihil diſtinxit, excepit neminem. *Nihil excipitur, ubi nihil diſtinguitur*, S. Jacobo ſatis fuit grex Jeruſalem, relicta univerſali cura S. Petro. *Jacobus una contentus eſt Jeroſolyma, Petro univerſalitatem cedens.* In hac univerſalitate adeo bene deſcripta, validiſſimiſque argumentis a S. Bernardo probata, continentur non ſolum omnes Spirituales Eccleſiæ Principes, verum etiam Imperatores, Reges, Principes terreni, qui filialem debent obedientiam S. Petro, & ſucceſſoribus ejus quoad ea, quæ ad ſpirituale petinent regnum; & qui Leges, ſanctioneſque Eccleſiaſticas ab hoc Trono emanantes recipiunt; Huic ergo Summo Eccleſiæ Paſtori applicare poſſumus illa Iſaiæ verba: *Reges videbunt, & conſurgent Princeps, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & Sanctum Iſrael, qui elegit te,* (*Iſai.* 49.) confitentes te electum eſſe a Deo tanquam ſuum in terris Vicarium.

Summi Pontificis juriſdictio eſt univerſalis.

Univerſalis Juriſdictio S. Petri ſignificatur per uſum Clavium Regni Cælorum, quas illi Dei Filius tradidit; & adhuc apertius per hæc verba: *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* (*Matt.* 16.) Magnum, & mirabile S. Leo dicit. Videte quomodo J.C. hominem hunc in partem vocat totius poteſtatis, quam recepit a Patre pro animarum ſanctificatione. *Huic viro potentiæ ſuæ conſortium tribuit divina dignatio.* Sedes S. Petri adeo eminens ſanctitate, univerſalis eſt auctoritate; & ſolidiſſimam habet firmitatem. Romanorum Imperium tunc temporis florentiſſimum erat eorum omnium, quæ hactenus fuerant, in omnes terrarum plagas, quæ tunc patebant, erat diffuſum; ſed Petro Sedem ſuam in Ethnici imperii Metropoli conſtituente, ſuperbum illud imperium cœpit labefactari, ac tandem evaneſcit, neque ſuſtinuit lucem ex S. Petri Sede effulgentem. Sanctus hic Pontifex ſuas ædes conſtituit ſuper ruderibus Templorum Diis inanibus poſitorum, & ſuperbæ illius urbis cives ab hoc ſupremo edocti Paſtore, non minimum contulerunt, ut ejus ædificium inconcuſſum efficeretur. *P. Texier.*

Cur Dei Filius dederit S. Petro claves cælorũ poſt reſurrectionem, licet has illi in hac mortali vita promiſiſſet.

Quæritur cur Dei Filius, qui Regni ſui claves S. Petro in vita ſua mortali promiſerat, has illi non dederit niſi poſt glorioſam reſurrectionem ſuam. Prima hujus rei cauſſa fuit, æquum non fuiſſe, ut S. Petrus Cælum aperiret, antequam ingrederetur illuc Dominus ſuus, & Magiſter, qui nonniſi poſt mortem ſuam illuc erat aſcenſurus; poteſtas enim clavium pendebat a paſſione, & morte Salvatoris, a qua omnia Sacramenta originem habent, atque virtutem. Ratio altera eſt, Mundi Salvatorem prævidiſſe Apoſtoli lapſum; & hac mente noluit illi ſupremam in Eccleſiam ſuam auctoritatem conferre, niſi poſtquam crimen ſuum lacrimis eluiſſet, & gratiam per pœnitentiam obtinuiſſet; ne quis diceret, vel ne in ſuſpicionem veniret, ipſum unquam cæli claves amiſiſſe. Ad hæc operæ pretium erat illas homini committere, qui Eliæ ſpiritum non haberet, ut cælum clauderet, & inde in peccatores ignem eliceret; ſed ſpiritum lenitatis, ut compati poſſet eorum infirmitati, eoſque gerere in viſceribus ſuis, velut Moyſes, qui optabat ex vitæ libro expungi, niſi Deus indignationem ſuam avertiſſet ac populo ſuo peperciſſet. Quapropter nobis ille in Caput dedit hominem peccatorem ſimilem nobis, ſed pœnitentem, ut ille quidem ſuæ non oblitus fragilitatis noſtri miſereretur, nos autem majorem in Deo fiduciam haberemus, majoremque vim, ac fervorem, ut illius exemplum ſecuti ageremus pœnitentiam. Addi etiam poteſt, facultatem dimittendi peccata cælumque aperiendi peccatoribus per Sacramenta, privilegium eſſe non quidem Synagogæ, ſed Eccleſiæ, quæ ex ſacro Jeſu Chriſti crucifixi latere emanavit.

Cur Deus mutaverit nomen Simonis in nomen Petri.

Quæritur cur Dei Filius nomen Principis Apoſtolorum mutaverit, antequam illi claves Regni cælorum polliceretur? Ubi reſponderi poteſt, exteriorem hanc mutationem indicium fuiſſe mutationis interioris, quam in perſona, & moribus illius effecturus erat; in perſona quidem illum ſtatuens ſuper cathedram Eccleſiæ ſuæ; in moribus vero illi conferens donum gratiæ, & virtutis magnitudini ſtatus ejuſdem appoſitum: *Tu vocaberis Cephas*, quaſi diceret; mirabilem in vita tua, & conditione tua efficere volo mutationem. Hactenus ſimplex piſcator fuiſti, mox eris mihi Vicarius in terris; exigua tibi regenda erat cymba, Eccleſiam meam tibi regendam committam, nonniſi retia ibi erant attrectanda, dabo tibi Evangelicum rete, quo nationes omnes, omneſque terrarum populos capias; tibi cum fluctibus tantum, ac ventis erat dimicandum, tibi res erit cum omnibus Mundi, infernique poteſtatibus; ſed inde referes victoriam: denique hactenus piſces capiebas; jam homines eris capiens, munuſque tuum erit lucrum animarum, & cordium imperium: *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* (*Matth.* 4) Verum non ſolum ad innuendam ſtatus, ſed etiam morum mutationem, hujus Apoſtoli nomen mutatur; & hac de cauſſa Summi Pontifices, S. Petri ſucceſſores, ad exemplum illius nomen mutant, ut reminiſcantur mutationis vitæ, ac intelligant propter officii ſui dignitatem opus eſſe, ut ad ſublimem perfectionis apicem adnitantur.

Eccleſia nonniſi unum caput habere & debet, & poteſt.

Eccleſiæ regimen eſt Monarchicum, ideoque unum dumtaxat caput habere debet: ſi enim increatæ Sapientiæ proprium eſt in omnibus perfectiorem ordinem conſtituere, dubitandum non eſt quo minus in Eccleſia perfectiſſimum ordinem collocaverit. Quæ imperfecta ſunt, magno ſunt in numero; quæ vero egregia, pauca. In Regno plura ſunt ſtatuum genera; ſed ut plurimum unus eſt Princeps, ſine quo ruere poſſet reſpublica, quippe gubernaretur a pluribus, quorum ſententiæ ſæpe pro ſingulorum commodis abirent in diverſa: Ita in Eccleſia plures ſunt Præſules, plures Doctores, plures Confeſſores, ſed unum caput eſt viſibile univerſalis Monarchiæ: *Solus Petrus claves accepit*, inquit Optatus Milevitanus; & S. Bonaventura ait: *Unus eſt Prælatus Eccleſiæ univerſalis.* Uni Petro Salvator dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* (*Matth.* 16.) Deus unus eſt, J.C. unus: Eccleſia una, & Cathedra Eccleſiæ una ſuper S. Petrum fundata. Sed cur Eccleſia ſuper unum fundata eſt? Quia Deus diviſione eſt inimicus, & hac de cauſſa, S. Hieronymus inquit: *Unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Ex duodenario numero Salvator eligit unum, ad auferendam per Capitis ab ipſo conſtituti unitatem omnem ſchiſmatis, & diſſenſionis occaſionem inter membra, quæ cor unum, animamque unam habere debent, unum dumtaxat caput habentia ſicuti ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* (*Act.* 4.)

Æquum erat ut S. Petrus primatum haberet in Eccleſia Filii Dei.

Quemadmodum S. Petrus primus fuit divinitatis J.C. confeſſor, æquum erat, ut primatum haberet Eccleſiæ fundatæ ab hoc Homine Deo, ac præeminentiam in omnem Eccleſiam, quam ipſe ſuper terram fundaverat. Æquum erat, ut ille haberet cæli claves quatenus primus heres, poſt Salvatorem ex ipſa Domini confeſſione. Hic etiam S. Apoſtolus primus omnium confirmatus fuit illapſu Sp. ſancti; primus, cui pedes abluerit Jeſus; primus ex omnibus Paſtoribus, qui concilium habuerit, cui poſt Domini Aſcenſionem præfuit. Hic primus fuit Evangelicus præco, qui Judæos, & Gentiles convertit; primus, qui in Eccleſiæ naſcentis confirmationem fecit miracula; primus pro J.C. nomine crucifixus; primus ipſo Salvatoris ore Beatus nuncupatus: *Beatus es Simon Bar-jona*, (*Matth.* 16.) primus pro tali in Eccleſia habitus; & quoniam in omnibus, & per omnia primus eſt tanquam Vicarius ac Vices gerens Salvatoris omnium, ipſi etiam ſuper omnes fidenter ad illum confugere debemus, ſi quibus unquam vel mentis vel corporis afflictionibus urgebimur.

S. Petri elevatio ad dignitatem capitis Eccleſiæ præmium eſt confeſſionis, qua Salvatoris dignitatẽ palam aſſeruit.

Inaudita S. Petri elevatio effectus eſt infinitæ Domini miſericordiæ: ſingularis J.C. amor illi primam hanc in Eccleſia ſedem largitus eſt. Hoc tamen non obſtat quominus cum pluribus Eccleſiæ Patribus, ac potiſſimum cum S. Hieronymo dicere poſſimus, hanc mercedem fuiſſe præſtantis illius confeſſionis Fidei, quam tunc elicuit, cum dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: (*Matth.* 16.) ita ut aſſerere poſſimus viam, per quam ad Eccleſiæ thronum pervenit, fuiſſe fidem illius incomparabilem.

Univerſalitas, & magnitudo poteſtatis S. Petri orta ex Eccleſiæ unitate.

S. Petrus non habet ſolum unitatem, & præeminentiam capitis in Eccleſia Dei, ſed etiam univerſalitatem, cujus vi poteſtas ejus ad omnia tempora, omneſque terrarum plagas extenditur. Conſtat enim ædificii alicujus fundamenta non minus patere debere quam totum ædificii corpus; alioquin muri male ſuffulti quam primum facerent ruinam. Eccleſia igitur ab una mundi plaga ad aliam extenditur; ideoque S. Petri auctoritas, quæ illius fundamentum eſt, eamdem habere debet latitudinem omnemque orbem complecti. Quidquid ergo efficiant Hæretici magnitudini hujus adverſantes, atque ſenſum horum verborum detorquere conantes: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; non miror: ſunt Acephali ſucceſſores veterum hujus hominis Hæreticorum, qui nullum habere volunt caput, & qui ideo in tumultu, & confuſione vivere volunt. Non deſunt alii, quorum conſilia ſequamur, quam hi qui nupter venerunt; tutioreſque habemus interpretes verborum Filii Dei. S. Patres nos erudiunt a Deo in Eccleſia ſua poſiti tanquam lampades ardentes, qui nobis in dubitationibus præferant facem. *His verbis Chriſtus Petrum univerſo orbi præponit*: S. Chryſoſtomus inquit. (*S. Chryſoſt. hom. 55. in Matth.*) Dei Filius per hæc verba S. Petrum mundi caput conſtituit. *Petra dicitur Petrus, ſaxum totius operis Chriſtiani*, S. Ambroſius ait. *His verbis Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*, dicit S. Gregorius. *Paſcit Petrus Agnos, paſcit & oves, paſcit filios, paſcit & matres; regit & ſubditos, & prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos & oves in Eccleſia nihil eſt.*

Quo in ſenſu intelligenda ſint hæc verba. *Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Animadvertendum eſt, nos per noſtram ſubmiſſionem Eccleſiæ, & capiti Eccleſiæ, ſucceſſori S. Petri primi Eccleſiæ Capitis in Eccleſia ut ita dicam incorporatos eſſe, & habitos tanquam membra magni hujus corporis. Sine hac generali ſubmiſſione Eccleſiæ, & peculiari Capiti ejus, omnibuſque veritatibus ab Eccleſia propoſitis tanquam articulis fidei, non ſumus amplius viventia Eccleſiæ membra, nullamque habemus cum Eccleſia relationem, quæ nobis ad æternam vitam valeat prodeſſe. Ita quicumque non credit articulum Fidei ab Eccleſia propoſitum, cenſeri nequit Eccleſiæ Filius, & nonniſi tanquam alienus a Salvatore eſt habendus.

Animadvertendum eſt etiam Mundi Salvatorem S. Petro non dicere, quod hæretici aſſeruerunt, ſuper fidem tuam conſtituam totum Eccleſiæ ædificium, excluſa per fallacem hunc ſenſum Apoſtoli hujus perſona: Sed perſonaliter huic Apoſtolo dicit ſuper te, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Neque uni perſonæ S. Petri hæc promiſſio facta fuit, ut Novatores putarunt, excludentes ſummos Pontifices, qui Petro ſucceſſerunt, eique ad ſæculorum uſque finem ſucceſſuri ſunt, ſed omnibus etiam ſucceſſoribus ejus Mundi ſalvator hoc pollicitus eſt in S. Petri perſona, qui in hac occaſione totam Eccleſiam, cujus Caput erat, repræſentabat. Tu es Petrus, & ſuper hujus petræ firmitatem Eccleſiam meam ædificabo; eamdem tibi poteſtatem conferam, quam ipſe accepi a Patre meo, & illis, qui te ſecuturi ſunt, eamdem reliquens, quam a me receperis. Ita omnes SS. Patres id intellexerunt, & hæ duæ ſunt peculiares prærogativæ, quas Mundi Salvator ſucceſſoribus S. Petri uſque ad ſæculorum finem pollicetur. Primum fidei, & Doctrinæ infallibilitatem, quæ in ipſo ortu Eccleſiam fundare debet, eamque in difficultatibus, rebuſque dubiis illuſtrare. Hoc Dei Filius S. Petro promittit per hæc verba, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, eique aſſiſtat Patris mei revelatio. Secundo Salvator S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus tribuit plenitudinem poteſtatis, quæ exhibetur clavibus Regni cæleſtis, quas J.C. in manibus ejus deponit tanquam ſupremæ poteſtatis ſuæ notam, ac ſymbolum: dabo tibi claves regni cælorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in cælis. Hujus Apoſtoli fides nonne ſatis amplam nacta eſt mercedem, quandoquidem Dei Filius eam fidei noſtræ regulam facit, & hæc palam oſtendit poteſtatem illius abſolutam eſſe in cælo, & in terra? Ab illius judiciis provocare nemini licet inter homines, eorumque placitis hærere Deus ipſe dignatur.

Quo in ſenſu intelligenda ſint hæc verba: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Hæc eſt promiſſio a Mundi Salvatore facta Principi Apoſtolorum, atque ſucceſſoribus ejus omnibus Romanis Pontificibus, ſe perpetuo illis per Spiritum ſuum affuturum in dubiis quæſtionibus, quæ de fide oborirentur. Hoc ſignificant verba illa, quæ præcedunt: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum.* (*Luc.* 22.) Quæ non fuit prædictio Salvatoris, quaſi Petrum præmoneret futurum ut Paſſionis ſuæ tempore Angelus tenebrarum illum in fide tentaret; ſed Prophetia eſt ſtatus Eccleſiæ, cujus fides ſemper erat vel Tyrannorum crudelitate, vel Hæreticorum impietate tentanda. Secundo pollicetur illi auxilii ſui robur, atque virtutem ad Eccleſiam a Satanæ incurſionibus, inſidiiſque propugnandam, qui nulli parcet vi, nulli verſutiæ, ut illam contendat evertere; quod innuunt illa verba: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Denique Dei Filius S. Petro promittit auxilii ſui perennitatem, & quandiu illius durabunt certamina, hoc eſt ad finem uſque ſæculorum, quod iis verbis ſignificatur: *Et tu converſus confirma fratres tuos.* (*Luc.* 22.) Quaſi diceret: quantumvis profitearis, te mihi certiſſime ad mortem uſque adhæſurum, fides tua, & amor tuus violenter in paſſione mea tentabantur; ſed ubi converſus fueris, & lacrimarum tuarum imbre ſcelus tuum expiaveris, nutantem, labantemque fratrum tuorum fidem confirmabis.

Auxilium quod Jeſus Eccleſiæ promittit, eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti, omnibus S. Petri ſucceſſoribus, qui Eccleſiæ nomine loquuntur in quæſtionibus de fide.

Certe liquet, opem quam Dei filius Eccleſiæ ſuæ in Sancti Petri ſucceſſorumque illius ſummorum Pontificum perſona pollicetur eſſe Spiritus ſancti aſſiſtentiam, qui illi in dubiis, ancipitibuſque rebus lumen debet afferre, omnes illi veritates revelare, omnes illi aperire occultiſſimos Scripturarum ſenſus, deciſiones formare, judicia regere, ac talem efficere ut in doctrina, & fide nec fallere poſſit, nec falli. Verum in quo promiſſiones iſtæ implebantur? Numquid in multitudine fidelium, quod per ſummam temeritatem æque, ac inſaniam nuperi aſſeruerunt hæretici?

Quomodo intelligenda ſint verba hæc: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?*

Conſiderari poſſunt duo privilegia, & prærogativæ, quæ Apoſtolorum Principi a Mundi Salvatore per hæc verba promittuntur: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Altera ex his prærogativis reſpicit S. Petri perſonam, & in illo moratur; altera ad eum pertinet tanquam Eccleſiæ caput, & hæc ab illo ad omnes ejus ſucceſſores veluti per manus traditur. Primum Dei filius S. Petro individualem promittit opem ejuſque perſonæ inhærentem, cujus vi fidem in finem uſque ſervavit, ac de Satanæ poteſtate triumphavit. *Quando rogavit, ut non deficeret fides ejus*, S. Auguſtinus ait, (*Auguſt. lib. de corept. & gratia, c. 8.*) *rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, & perſeverantiſſimam voluntatem.* Non promiſit illi, ipſum hac in re tentatum non iri, & mortis timorem nequaquam ad tempus in corde ipſius validiorem futurum ipſo amore, quo Dominum ſuum proſequebatur; ſed dixit illi futurum, ut fides ejus quæ dæmonis improbitate erat oppugnanda non omnino in certamine labefactaretur, quaſi diceret; addit quidam Interpres: *Quamvis brevi tempore concutiendus ſis, habes recondita fidei ſemina.* Quamvis ad breve tempus fides tua ſit labem paſſura, te ad mulierculæ vocem Magiſtrum, Dominumque tuum negante; intus tamen in corde fidei ſemina ſervabis. Hic Primus eſt verborum illorum ſenſus: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua;* Secundo facile eſt videre, Dei Filium opem hanc longius protendere, & ſicut ille S. Petrum reſpiciebat quatenus Eccleſiæ ſuæ caput, volebatque illum Principem conſtituere ſuper univerſam domum ſuam, pollicetur illi certiſſimum, perpetuumque Divini Spiritus ſui auxilium, quod ab illius perſona ad omnes ſucceſſores ejus eſt migraturum: quo in ſenſu Patres omnes illud Salvatoris verbum intellexerunt: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, non tanquam uni S. Petro dictum, ſed ſummis Pontificibus omnibus, qui eidem ſucceſſerunt, eique ad finem uſque ſæculorum ſunt ſucceſſuri.

Auctoritas & cura S. Petri in omnia Eccleſiæ miniſteria.

Omnino neceſſum erat, ut Eccleſia, quæ J.C. regnum eſt, bene regeretur. Ideo Deus illi dederat Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, & Doctores, ut ad Sanctorum perfectionem incumberet juxta ſui miniſterii officium in ædificationem Corporis J.C. (*Eph.* 4. 11. 12. *Joan.* 10). Inde autem factum eſt, ut propter hanc illuſtrem confeſſionem Divinitatis Filii Dei, quam S. Petrus pro omnibus Apoſtolis edidit; ille hunc poſuerit fundamentum miniſterii, & regiminis Eccleſiæ, conferens illi curam, & auctoritatem in reliquos omnes, qui in muneribus, & ſubalternis miniſteriis ſuis illi, tanquam capiti ſubordinati ſunt. Quamobrem J.C. ſtatim ſupremam hanc illi tribuens poteſtatem, & auctoritatem ſuam in Eccleſia, ſubdidit: *Tibi dabo claves regni Cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis.* Et hæc promiſſio, quæ non adimpleri non poterat, tunc adimpleta fuit, cum Dei Filius, poſt Reſurrectionem ſuam ter ſubinde illi dixit: *Paſce agnos meos.*

Diſcrimen inter eum modum, quo Deus ad S. Petrum & quo ad alios Apoſtolos locutus eſt, tribuens iis clavium poteſtatem. *Cyprian. Ep. 27. de lapſis. Hieron. l. 1. contra Jovinian. Aug. Conc. 2. in Pſal. 50. & Pſ. 86. Cypr. lib. de unitate Eccleſ. Ep. 55. & 73. Hieron. adverſus Jovinian. l. 2. Opta. contra Parm. l. 2.*

Verum eſt, juxta Patrum ſententiam, & præſertim S. Auguſtini, Jeſum hæc verba dixiſſe illi, qui erat Eccleſiæ figura pro omnibus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, qui, ex divo Paulo, ſunt Eccleſiæ fundamenta, & quibus J.C. dixit, quidquid ipſi ligaverint, vel ſolverint in terris, ligatum, ſolutumque iri & in cælis. Sed inter S. Petrum, alioſque omnes hoc diſcriminis intereſt, quod cum ad omnes loquitur in communi, illis tribuit, quod omnibus Apoſtolis commune eſt, & in quo omnes ſunt pares, videlicet ſacrificandi poteſtatem, docendi omnes gentes, baptizandi, remittendi peccata, & quidquid ad alia Apoſtolica munera pertinet; vero ſingillatim cum S. Petro verba facit, huic tribuit, quod hujus proprium eſt, loquens ſingulari numero, ut inſtituat in Eccleſia ſua unitatem, cujus illum conſtituit principium, & fundamentum, ad quod alios ſeſe referre opus eſt, ut ſimul unum ſint per unionem, quam habere debent cum Capite ſuo ſine quo nihil ſunt, & nihil poſſunt.

De Primatu S. Petro collato propter ejus fidei confeſſionem.

Sicuti S. Petrus primus fuit, qui palam confeſſus fuerit J.C. divinitatem, quam divinitus per revelationem didicerat, & quam alii nonniſi per illum noverunt, cujus organo uſi ſunt, ut reſponderent, magna illa in occaſione eidem adhærentes: ita J.C. propter hunc Confeſſionis primatum, contulit illi primatum ſuper ceteros conſtituens ipſum Caput, & *Unum* illud, illam originem, fundamentum atque principium unitatis, ſuper quo ratione miniſterii illius Eccleſiam ædificavit. Ita ut licet ceteri immediate ſtatim a J.C. receperint poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, nec non Eccleſias ſuas regendi, hanc tamen exercere nequeant niſi vi unionis illius, quam habent cum S. Petro, ſine qua non eſſent amplius in unitate, ideoque nec in Eccleſia. In hoc S. Petri Primatus conſtitutus eſt; & ille poſt Jeſum Chriſtum, non tamen ut Jeſus Chriſtus propria poteſtate, & vi, ſed commiſſione, fundamentum eſt & Caput Eccleſiæ, origo, principium, & centrum unitatis, ſuper quo illa fundata eſt, atque ædificata.

S. Petri Cathedra centrum eſt unitatis, & Communionis Eccleſiarum.

Cathedra hæc una eſt, dicebat S. Optatus Milevitanus Epiſcopus Hæretico Parmeniano, & velis, nolis, negare non potes, quominus Petrus Apoſtolorum Princeps ſedem ſuam Romæ ſtatuerint: *In quo non Cathedræ unitas ab omnibus ſervatur*; Ut cum ſit Caput ceterorum in illo conſtituat Eccleſiæ unitatem; ut Apoſtolorum quilibet ſuam non haberet Cathedram, Eccleſiam, Religionem; ſed haberetur tanquam peccator, & ſchiſmaticus, qui contra hujus Cathedræ ſingularitatem inſurgeret. *Ergo Cathedra non eſt*, concludit S. hic Epiſcopus, in qua omnium primus ſedit Petrus, poſt Petrum Linus, poſt Linum Clemens &c. Vel, ut S. Cyprianus ait: (*Lib. de Unitate Eccl. Ep.* 40.) Unus tantum eſt Deus, unus Chriſtus, & Cathedra una; vel ut alibi ait, Deus unus eſt, unus eſt Chriſtus, una Eccleſia. Cathedra una eſt ſuper S. Petrum fundata verbo Domini, & quicumque alterum conſtituere voluerit Altare, Cathedram alteram, alterumque Sacerdotium, adulter eſt, profanus, ſacrilegus.

Nexus quẽ habemus cum Romana Eccleſia, certiſſimum ſignum eſt, nos eſſe in vera fide;

Certitudo, quam habemus in fide, & communione Sanctorum vivendi, eſt illa adhæſio quam cum Eccleſia Romana habemus, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum centrum, & vinculum, quod illas omnes connectit, & quæ ideo fidei cuſtos eſt. Hæc eſt, quod eamdem fidem, eamdemque doctrinam pro-

BIBLIOTECA CENTRAL